




NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
254
1 B
21





THESES SELECTÆ

EX UNIVERSA THEOLOGIA

ET JURE CANONICO AC CIVILI

EXPOSITÆ

ET IN COMPENDIUM REDACTÆ

A SACERDOTE

JULIANO JALLABERT

LUGDUNI

EX TYPOGRAPHIA ET LIBRARIA FELICIS GIRARD,

In platea vulgo dicta Bellecour, 30

—

1869


254
1 B
21

THESES SELECTÆ

IMPRIMATUR :

Lugd., die 25 oct. 1869.

DE SERRES, *Vic. gen.*

THESES SELECTÆ

EX UNIVERSA THEOLOGIA

ET JURE CANONICO AC CIVILI


EXPOSITÆ

ET IN COMPENDIUM REDACTÆ

A SACERDOTE

JULIANO JALLABERT





LUGDUNI

EX TYPOGRAPHIA ET LIBRARIA FELICIS GIRARD,

In platea vulgo dicta Bellecour, 30

1869



Monsieur l'Abbé,

Malgré la rapidité avec laquelle j'ai lu vos *Theses selectæ ex universa Theologia et Jure canonico ac civili expositæ et in Compendium redactæ*, j'ai pu m'assurer cependant que c'était un travail qui présentait un grand intérêt, et qui, par conséquent, serait d'une grande utilité, non seulement pour les ecclésiastiques, mais encore pour les laïques qui ont à traiter des questions où la jurisprudence civile se mêle au droit canon. Je dois ajouter que des juges bien plus compétents que moi, auxquels j'ai soumis votre ouvrage, partagent mon opinion sur son utilité.

Recevez, Monsieur l'Abbé, l'assurance de mes sentiments les plus dévoués.

J. GLAIRE.

Paris, le 25 février 1868.

Ad Illustrissimum ac Reverendissimum DD. Franciscum Nicolaum GUEULLETTE. Episcopum Valentinensem in Gallia,

JULIANUS JALLABERT.

Si quod est, Illustrissime ac Reverendissime Præsul, in hominum civili societate argumentum, quod animos lætitia perfundere debeat, illud sane est, quod patrem inter et filium nodos amoris nectere; quod grati animi sensus undique demonstrare; quod obedientiæ motus et charitatis efficere valet. Qua adductus sententia, fateor equidem me sæpenumero optasse hujusmodi vincula instituere; et Tibi, Reverendissime Pater, veluti humilem subditum devotumque filium, aliquod obsequii et observantiæ testimonium proferre.

Propriis quidem viribus parum confisus, nunquam illud mihi in animum inducere potui, ut studiorum meorum fructum executioni mandarem. Nunc vero tuis innixus virtutibus, tuaque doctrina atque pietate commotus, dum sacras Tibi deosculor manus, humiliter ad tuos pedes mei laboris specimina libenter depono; ut Tu, Pater Amplissime, una acceptatione meos tergere sudores, et in hac difficili vita auxilium mihi largiri digneris.

Ex tuo enim consilio, ex tua charitate, tuisque ex præceptis diu

noctuque in studiis sum versatus; theologicis Disciplinis toto animo vacavi; Historiis ecclesiasticis et Sacræ Scripturæ pro viribus studui; Jura sive canonica, sive civilia libavi. Ex quibus omnibus triginta deprompsi theses, ac totidem disceptationes redigere conatus sum : quas hodie humiliter Tuæ Celsitudini commendo. Utinam in exiguo hocce opere aliquid tamen inveniatur, quod tui intellectus sapientiæque videatur haud prorsus indignum!

ERRATA.

Pagina 26, paragr. 12, *lege* : ad secundam partem...
Pagina 52, paragr. 22, *lege* : satisfecimus primæ classi. .
Pagina 61, paragr. 21, *lege* : commiscentes.
Pagina 97, paragr. 6, *lege* : ab Hebræis.
Pagina 193, paragr. 16, *lege* : in hac difficili quæstione.
Pagina 212, paragr. 25, *lege* : quod ostendere suscepimus
Pagina 226, paragr. 1, *lege* : Christi.
Pagina 298, paragr. 2, *lege* : de objecto Religionis.
Pagina 309, paragr. 40, *lege* : reddere *necessitatis*.

EX S. THEOLOGIA DOGMATICA

DE LOCIS THEOLOGICIS

THESIS 1ª.

De veritate Romanæ Ecclesiæ.

1. Quum Deus infinita sua sapientia, ac omnipotenti virtute hominem in orbe terrarum constituerit, illum in religione creavit. Religio enim sive a *relegendo*, ut ait Cicero (in lib. 2, de Natura Deorum, cap. 28); et Aug. (lib. 10, de Civit. Dei, cap. 4) quatenus Dei cognitio lecta est, lectusque cultus; sive a *religando*, ut ait Lactantius (in lib. 3, cap. 11) quatenus Deo obstricti pietate ac relegati sumus, est diffusa in ipsius hominis natura. Ipse revera, natura sua, ad officia cultus tendit : ergo ipse, natura sua, ad religionem. Quid enim erit creaturæ rationalis vita, e medio religione sublata? Nihil aliud nisi continua

in se perturbatio, nisi in proximum sæva corruptio. Et hac commoti veritate, atque observatione omnes homines omnium temporum, omnium nationum, omniumque locorum sine ulla hæsitatione in hujusmodi convenere doctrinam.

Barbaris et Græcis innatam esse religionis notitiam advertit Aristoteles (de Cœlo, lib. 1). De Ægyptiis scribit Jamblicus (in sect. 1, cap. 3, de Myst. Ægyptiorum). De Hebræis loquitur clare Moyses in Pentateucho.

2. Sed hujusmodi religionis duplex est species: Theoretica et Practica. In prima, cognitio Dei, qua naturali lumine innotescit, habetur; in altera, causæ creatricis et conservatricis summum obsequium concluditur.

3. Quæ religio præterea sive Theoretica, sive Practica est vel Vera, vel Falsa.

Et Falsa enunciatur, quando cum superstitione confunditur; ita ut cognitio Divinitatis a veritate sit procul, testimonium et cultus aut ignotis Numinibus, aut falsis, aut elementis exhibeatur, veluti Athenienses, qui aram posuere *Ignoto Deo* (Act. Apost., c. 17, v. 23). Habuere Græci aras Diis exteris positas; illas tenuere et Romani. Adorabant Gentiles infinitas Deorum turbas (Moyses, Deut., cap. 4). Solem Saturnum colebant Assyrii (Lamy in Apparatu Biblico, lib. 3, cap. 1). Et sic deinceps.

4. Veram autem illam nuncupamus, quæ a Deo nobis data est per supernaturalem revelationem sive libris scriptam, sive orali traditione mandatam. Cujus existentia in dubium revocari non potest, ex eo quod

validissimis argumentis probetur, miraculis et prophetiis confirmetur.

5. Ast forsitan hoc donum Deus hominibus ita contulit, ut uniuscujusque arbitrio datum sit de eo abuti pro lubito, insimulque judicium ejusque proferre interpretationem; vel potius aliquam constituit auctoritatem infallibilitate præditam, cujus esset integritatem revelationis servare, controversias exortas in legitimo sensu resolvere?

6. Utique constituit in sua infinita sapientia atque bonitate hujusmodi auctoritatem, cujus ministerio veri ejusdem sensus creaturis innotescerent rationalibus.

Et Ecclesia est illa auctoritas nimirum, quam Deus elegit ad hoc in terris sublime munus obeundum; et Ecclesia illa scilicet, cujus veritas veluti lux meridiana præfulget.

7. Sed quid est Ecclesia? Et quænam vera Ecclesia? Ecclesia, id est congregatio, convocatio, cœtus prout hic generaliter sumitur, est societas a Christo instituta ad profitendam doctrinam suam. Hujusmodi vocabulum in sensu proprio in V. Testamento usurpatur ad indicandum cœtum non justorum solummodo, prout in Psal. 149 : « Laus ejus in Ecclesia Sanctorum, » verum etiam impiorum, veluti in Psal. 25 : « Odivi Ecclesiam malignantium. »

In Novo autem, ut advertit Melchior Canus, usurpatur dumtaxat ad indicandam congregationem Fidelium et Sanctorum.

Et sub hoc respectu distinguitur in militantem, purgantem, triumphantem.

Loquentes igitur hic tantum de militante, illam pressius definimus : Societatem hominum baptizatorum, qui unam eamdemque fidem profitentur, iisdem communicant Sacramentis, et legitimis Pastoribus, ac potissimum *Romano Pontifici*, Christi in terris Vicario, adhærent.

8. Quænam vera Ecclesia ?

Plures in orbe terrarum cœtus inveniuntur, qui tametsi inter se maximopere dissentiant, atque extremis necessariis ad veram Ecclesiam constituendam deficiant, Christianos se esse jactitant, et constituere illam continuo asserunt.

Sed ex tot et tam diversis sectis illa est vera, in qua tales propriotates, talia signa, seu notæ, tales characteres, seu dotes inveniuntur, quæ a Christo ipso constituta sunt ad efformandam veram sui Ecclesiam.

Atqui hæc omnia sunt vel intrinseca vel extrinseca.

Intrinseca, quæ exigit natura ipsa rei ad quam pertinent, et sunt tria : Unitas, Visibilitas, Perpetuitas.

Extrinseca, quæ non ingrediuntur rei naturam, sed indicia sunt ad patefaciendas illas internas proprietates, et sunt quatuor : Unitas, Sanctitas, Catholicitas et Apostolicitas. Dantur denique et dotes, quæ finem institutionis omnimode respiciunt, et sunt tres : Indefectibilitas, Infallibilitas, Auctoritas.

9. Quæ omnia vel nulli Ecclesiæ conveniunt, vel omnibus sectis, vel uni tantum.

1° Falsum est asserere nulli convenire, ex eo quod

secus nulla existeret Ecclesia a Christo Domino constituta, et hoc est contra factum.

2° Non licet asserere convenire omnibus sectis; quia tunc verificari posset eo tempore, quo sectæ dissentirent maximopere inter se, eodem tempore iisdem essentialibus proprietatibus, iisdem notis gauderent, et hoc implicat sibi repugnantiam.

Remanet igitur ut uni tantum hæc signa conveniant.

Atqui illi unicæ Ecclesiæ cui signa hujusmodi conveniunt, est illa vera Ecclesia, cui concreditum est sublime illud revelationis depositum.

10. Sed hæc est *Ecclesia Romana*. Hinc sit

PROPOSITIO :

SOLA ECCLESIA ROMANA EST VERA CHRISTI ECCLESIA.

11. Et reapse vera Christi Ecclesia est una.

Inquit Dominus apud Joan. (17, v. 20 et seqq.) : « Non pro eis (Apostolis) rogo tantum, sed et pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me : ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint. » Sic et Apostolus Paulus ad Ephes. (4, v. 3) : « Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis, etc. » Unde S. Ambrosius (lib. 17 in Luc. c. 11) dicit « Ecclesiam regnum indivisum. »

Ergo in vera Christi Ecclesia requiritur : 1° una professio fidei; 2° una Sacramentorum eorumdem

communio; 3° subjectio erga unum atque visibile Caput, *Petri successorem.*

Atqui Ecclesia Romana hæc tria evidentissime tenet, et sola tenet; semper enim servavit unam eamdemque fidei doctrinam, semper eadem Sacramenta, semper Romano Pontifici, Petri legitimo successori, obtemperavit.

Ergo Ecclesia Romana quia una, est vera Christi Ecclesia.

12. Et immerito asseritur a Protestantibus Ecclesiam Romanam destitutam esse unitate fidei sive formalis, sive materialis; nam quamvis Theologi catholici controversias habent circa subjectum auctoritatis, nemo tamen inficiatus est ex ipsis, in Concilio una cum Romano Pontifice residere auctoritatem eamdemque infallibilem. Quoad autem unitatem materialem animadvertimus incredulos et indifferentistas nocere sibi solis, non vero Ecclesiæ unitati.

Sola tenet, inquam; nam ceteræ Pseudo-Christianorum sectæ, sive a Luthero, sive ab aliis Novatoribus nomen habent, sive seorsim spectantur, sive insimul, unitate carent. Ubinam subjectio visibili Capiti, Petri successori? Ubinam idem numerus Sacramentorum? Ubinam constans et eadem fidei doctrina? Nec objiciant adversarii nostris temporibus Ecclesiam Græcam et Græco-Russam gaudere fidei unitate; nam utraque in interpretatione Sacræ Scripturæ secundum systema sensus privati se gerit; et posita methodo hujusmodi, jam necessario huc illuc fidei professionis pluralitas exurgit : et in hac pluralitate ubinam unitas?

13. Vera Christi Ecclesia est visibilis. Christus quum in hunc mundum venit, Ecclesiam suam inter homines constituit, ac illam societatem efformavit. Homo autem duplici constat substantia : spirituali una, materiali altera. Atqui si Ecclesia invisibilis esset, tunc comprehenderet tantum unam hominis partem, alteram inobservatam derelinquens.

Media (seu Sacramenta) quibus juvantur hujus societatis individua, sunt visibilia. Ingreditur revera per Baptismum, corroboratur fidelis per Confirmationem, reficitur per Eucharistiam, et sic deinceps.

Quomodo ea invisibiliter Christianis possent dispensari?

Christus apud Matthæum (18, v. 15 et seqq.) loquens de œconomia sua in Ecclesia tenenda, sic aperte locutus est : « Si peccaverit in te frater tuus, vade, et corripe eum inter te et ipsum solum..... Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ : si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus. » Jam vero hic sub nomine Ecclesiæ Tribunal intelligitur, ad quod fratrem non audientem vocare debeo. Si tribunal hujusmodi invisibile esset, Christus mihi impossibilia juberet : atqui, teste Augustino, Christus impossibilia non jubet; ergo vera Christi Ecclesia visibilitate gaudet.

Visibiliter insuper Christus in terris ad Ecclesiam suam ædificandam apparuit; visibili ratione suos Apostolos ad docendos omnes populos misit, per visibilia miracula illos in fide confirmavit.

14. Veniant nunc Novatores sæculi xvi, et hanc proprietatem Ecclesiæ Christi auferant.

Ipsi enim ut argumenta infirmari aliquo in modo possint, aiunt, in Symbolo Apostolico haberi, « Credo in unam sanctam. » Atqui, quod creditur, non videtur; et fides, juxta Apostolum Paulum, est « sperandarum rerum argumentum non apparentium. » Ergo Ecclesia non visibilis.

Sed Novatores etiam nunc frustra conantur veritatem convellere; nam Ecclesia vera Christi apparet uti societas, proindeque videtur. Vivit spiritu Christi, et sub hujusmodi ratione creditur. Num implicat sibi repugnantiam, ut aliquod objectum possit esse directe objectum cognitionis, indirecte fidei objectum? Minime : ergo vera Christi Ecclesia est visibilis.

15. Atqui Ecclesia Romana est visibilis.

Christus revera exhibetur per suum visibilem Vicarium, Romanum Pontificem; Episcopi, Apostolorum successores, fideles visibiliter docent, Sacramenta, quibus Catholici reficiuntur, visibilia sunt.

Ergo Ecclesia Romana quia visibilis, est vera Christi Ecclesia.

16. Vera Christi Ecclesia est perpetua; finis enim ad quem institutionem habuit est perpetuus, ita ut per eam omnes homines omnium ætatum media haberent ad salutem æternam assequendam. Sed hoc quomodo obtineri posset, nisi Ecclesia perpetuitate frueretur? Et plane Christus in Scripturis hac in re locutus est : « Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculorum, et regni ejus non erit finis : portæ inferi non prævalebunt adversus eam. » Quæ verba vera non essent, si Christi Ecclesia e vita decederet. Denique Ecclesia vera Christi est imago

unionis ipsius hypostaticæ : jam vero neminem præterit unionem hujusmodi esse perpetuam; igitur vera Ecclesia Christi est perpetua. Hinc optime exclamat S. Joannes Chrysostomus (Hom. 4 in illud Isaiæ : « Vidi Dominum, » c. 2, t. 6) : « Facilius est solem extingui, quam Ecclesiam deleri. »

17. Atqui Ecclesia Romana est perpetua. Christus revera, cum dederit Petro claves regni cœlorum, et potestatem ligandi atque solvendi fideles, suam ei promisit assistentiam : « Ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi. » Atqui legitimus Petri successor est Romanus Pontifex.

Ergo Ecclesia Romana perpetuitate gaudet.

Ergo Ecclesia Romana quia perpetua, est vera Christi Ecclesia.

18. Et sic de veræ Christi Ecclesiæ proprietatibus. Nunc ad ipsius signa seu notas.

19. Nota est signum certum, evidens, et essentiale alicujus rei. Signum est id quod præter ideam sui, dat aliquam ideam, id est revelat nobis adesse rem. Christus, ad significandam sui veram Ecclesiam, præter proprietates, signa etiam constituit : Unitatem, uti diximus, Sanctitatem, Catholicitatem, Apostolicitatem.

Disseruimus jam de unitate; nunc de aliis prætium erit nonnulla digerere.

20. Vera Christi Ecclesia est Sancta. Ait enim Apostolus ad Hebræos (13, 12) : « Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum,..... passus est, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam..... » Et ad Ephes. (5, 27) :

« Sed ut sancta sit et immaculata. » Et ne unquam errore dehonestari possit, continuam Spiritus Sancti adsistentiam adpromisit. » Joan. (14, v. 25 et seqq.) : « Paraclitus autem Spiritus Sanctus... vos docebit omnia. » Sancta igitur est Ecclesia Christi propter suum Institutorem, Sancta propter finem ad quem originem habuit, Sancta propter morum fideique doctrinam, Sancta propter membra sanctitate fruentia, Sancta propter Sacramentorum sanctitatem, denique sanctificata propter miraculorum sublimitatem. « Signa autem, ait Christus (apud Marcum, c. 16, v. 17 et 18), eos, qui crediderint, hæc sequentur : in nomine meo dæmonia ejicient; linguis loquentur novis; serpentes tollent; et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit ; super ægros manus imponent, et bene habebunt. »

Ergo vera Christi Ecclesia est Sancta.

21. Atqui Ecclesia Romana est Sancta. Est revera illa eadem a Christo instituta, cujus Caput, Romanus Pontifex, vicem divini magistri in ipsa gerit. Idem et finis institutionis, eadem Sacramenta, innumerisque signis supernaturalibus decorata, præclaris sanctisque membris insignita, per quæ Deus identidem patrare solet miracula.

Ergo Ecclesia Romana sanctitate fulget.

Ergo Ecclesia Romana quia Sancta, est vera Christi Ecclesia.

22. Quibus consideratis, Novatores fidenter provocare licet, ut ipsi documenta in medium proferant ad probandum Ecclesiam Romanam quandoque corruptelam fovisse, vel regulam fidei, morumque veram

deseruisse doctrinam. Interim demonstrent pro suis sectis illam sanctitatem, quam pro viribus sibi vindicare conantur. Ubinam sunt reapse vera Sacramenta, si eadem rejiciant veluti inania et vacua elementa? Deturpant veram Christi doctrinam, verbum Dei indecore pertractant, et demum ipsam Dei bonitatem ejusque alia divina attributa vel impie inficiantur, vel inique dehonestata relinquunt.

23. Vera Christi Ecclesia est Catholica. Aiebat jam antea Regalis Propheta de Ecclesia (Psal. 71, v. 8) : « Dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum. » Unde Christus cum missionem Apostolis suis dedit, illis universum pro limite adsignavit (Marc., 16, v. 15) : « Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ. » Ex quo S. Augustinus (Epist. 52, n. 1, col. 119, 2) dixit : « Ecclesia Catholica, quod per totum orbem terrarum diffunditur, Catholica scilicet, id est Universalis, nullis temporum ac regionum fidelibus definita, doctrinæque universalitate decorata. »

24. Patet his igitur definitionibus, Ecclesiæ Universalitatem non mathematice sumendam esse, sed moraliter; ita ut sufficiat in præcipuis orbis regionibus Evangelium nunciatum sit, et undique fideles credentes fideique veræ cultores existant. Non uno impetu enim hoc sublime opus fieri poterat, sed successive adimpleri, donec esset *unus Pastor et unum ovile*. Et hæc observatio respondeat futilibus Novatorum argumentis, qui instant Ecclesiam ab initio certe non fuisse Catholicam; quod utique materialiter esse

nequibat, dum formaliter, scilicet in identitate doctrinæ, neque ullis credita temporibus, neque ullis locis definita.

Ergo vera Christi Ecclesia est Catholica.

25. Atqui Ecclesia Romana est Catholica. Sive enim gradum direxeris per Europam, sive iter perrexeris per Asiam, sive perambulaveris in Africam, sive ultimas Americæ terras perlustraveris, nullam nationem invenies in qua fidei cultores non existant Ecclesiæ Romanæ communionem habentes; unde Cyril. Hieros., Cath. 18, de ea dixit « per universum orbem esse diffusam, a finibus terræ usque ad extrema. »

Ergo Ecclesia Romana est Catholica.

Ergo Ecclesia Romana quia Catholica, est vera Ecclesia Christi.

26. Protestantium autem sectæ aliorumque Rationalistarum, quorum doctrina et Ecclesia una regione coercentur, nunquam per orbem universum suos diffundere ramos, suasque possunt ponere radices.

Et in hac animadversione, ipsi adversarii persæpe fassi sunt nullam dari catholicitatem extra Romanam Ecclesiam, secundum illud S. Augustini (in libr. de vera Religione, cap. 7, tom. 1). « Tenenda est nobis, inquit, christiana religio et ejus Ecclesiæ communicatio, quæ catholica nominatur non solum a suis, verum etiam ab omnibus inimicis..... Non enim possunt intelligi, nisi hoc nomine discernant, quo ab universo orbe nuncupatur. »

27. Vera Christi Ecclesia demum, est Apostolica. Ait enim Christus (apud Matth., 16, v. 18) : « Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam

meam. » Et fideles, secundum Apostolum Paulum (ad Ephes., 2, v. 20), dicuntur « cives Sanctorum, superædificati super fundamenta Apostolorum. » Ergo, secundum verba Christi, fundamentum et basis ipsius Ecclesiæ sunt Apostoli, et præsertim Petrus. Ergo illa tantum est vera Christi Ecclesia, quæ ab Apostolis ex institutione venit; ex ipsis doctrinam excipit, ordinis ac jurisdictionis potestatem et originem repetit, perpetua et continenti serie descendit, ut loquitur S. Irenæus (lib. 4, cap. 43) et Tertullianus (de Præscr., c. 32).

Quod si hæc non haberetur successio, jam actum esset de Apostolicitate. Ait revera Tertullianus (de Præscr. hæretic., cap. 20) : « Omne genus ad originem suam censeatur necesse est; itaque inter tot ac tantas Ecclesias una est illa ab Apostolis prima, ex qua omnes : sic omnibus prima, et Apostolica. » Ergo Ecclesia Christi vera ab Apostolis ortum trahit, nulla interrupta successione. Ergo Ecclesia Christi vera est Apostolica.

28. Atqui Ecclesia Romana est Apostolica. Romanus Pontifex, nulla admissa juridica interruptione, sedem Petri usque adhuc obtinuit, occupavitque veluti ipsius legitimus successor, doctrinam ab Apostolis traditam semper sartam, tectam servavit, ac inter infestas contradictionum procellas, contra Rationalistarum sophismata peroptime undique illam tuitus est; ita ut ipse Augustinus, in re (contra Epist. Man. quam vocant fundamenti, c. 4, t. 8, col. 153, edit. Venet.) causas significans, propter quas Romanæ Ecclesiæ adhæreret, hoc demum ait : « Tenet me

ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, usque ad præsentem Episcopatum successio sacerdotum. »
Quæ verba Sancti Doctoris ab adversariis ponderari utique debent, ita ut concludant certissimam successionum in Ecclesia Romana usque adhuc fuisse seriem, et catalogorum varietatem non attigisse nisi accidentales et criticas diversitates circa peculiare individuum : ergo Ecclesia Romana est Apostolica.

Ergo Ecclesia Romana quia Apostolica, est vera Christi Ecclesia.

29. Et veniant nunc Novatores, ac sibi Apostolicitatem vindicent in suis sectis, dum originem ducunt ab hominibus perditissimis, qui non modo Apostolorum doctrinam non tenuere legitimam, sed etiam nova dogmata sæculis superioribus vel inaudita, vel proscripta protulerunt in medium.

Proindeque illis cum S. Paciano (Epist. contra Novat.) repetimus : « Qui estis, quando et unde venistis? Quid hic, hæretici, ad voluntatem vestram seminatis, pascitis? Mea est possessio (Ecclesiæ Romanæ), prior possideo : habeo origines firmas ab ipsis auctoribus, quorum fuit res. Ego sum hæres Apostolorum? Novatus novis linguis locutus est? Prophetavit? Suscitare mortuos potuit? Homo enim aliquid habere debuerat, ut Evangelium novi juris induceret. »

Et sic de veræ Ecclesiæ Christi notis.

Nunc aliquid breviter dicendum de ipsius dotibus.

30. Vera Christi Ecclesia est indefectibilis, id est perpetuo duratura. Sed nos jam superius de perpe-

tuitate veræ Christi Ecclesiæ disseruimus, ac insimul de perpetuitate Ecclesiæ Romanæ; proindeque et de indefectibilitate. Ergo vera Christi Ecclesia est indefectibilis. Ergo Ecclesia Romana quia indefectibilis, est vera Christi Ecclesia.

31. Vera Christi Ecclesia est infallibilis. Christus dixit de Ecclesia sua : « Et portæ inferi non prævalebunt. » Atqui si Ecclesia in proponendis rebus fidei et morum erraret, portæ inferi prævalerent contra eam. Et ne ipse Institutor divinus videretur minus Apostolis suis fidejubere, ipsis apertissime dixit (Joan., 14, v. 16) : « Ego rogabo Patrem, et àlium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, spiritum veritatis. » Quibus verbis donum infallibilitatis Christum Ecclesiæ suæ dedisse, luculenter patet. Quæ igitur nunquam potest neque fallere, neque falli; nam Christus est veritas et vita, et Ecclesia est ejus imago. Hoc autem in sensu de ea loquitur S. Irenæus (contra Hæres., libr. 3, cap. 4, n. 1) : « Non oportet adhuc quærere apud alios veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere; cum Apostoli, quasi in depositorium dives, plenissime in eam contulerint omnia, quæ sint veritatis, ut omnis quicumque velit sumat ex ea potum vitæ. »

Ergo Ecclesia vera Christi est infallibilis.

32. Atqui Ecclesia Romana est infallibilis. Tenet enim ac peroptime servat eadem dogmata, eamdem morum regulam, quam Christus Ecclesiæ suæ per divina verba crededit; populos in orbe universo degentes continuo docet, veritates proponit, definit; et more Apostolorum, qui judaizantes prout hæreticos

damnarunt, damnat, feritque anathemate omnes illos, qui hoc sublime veritatum depositum coinquinare conantur. Hoc factum semper est ab Ecclesia Romana, hoc semper creditum est a primis Ecclesiæ incunabulis: Romanam Ecclesiam, cujus caput sit legitimus Petri successor, errare non posse. Et jure ac merito; nam Christus, apud Apostolum (ad Timoth., Epist. 1, cap. 3, v. 15) ait, Ecclesiam suam esse « columnam et fundamentum veritatis. » Jam vero columna et basis hujus Ecclesiæ fuit Petrus, et Romani Pontifices Petri successores sunt. Atqui, ait Vincentius Lirinensis (in Commonitorio) : « Fidei nostræ regulam esse credere quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est. » Ergo Ecclesia Romana est infallibilis. Ergo Ecclesia Romana, utpote infallibilis, est vera Christi Ecclesia.

33. Jam satis igitur de veræ Christi Ecclesiæ dotibus. Nunc de auctoritate quæ illi competit, in altera ac subsequenti disceptatione agemus; cum Ecclesiæ auctoritas thesim constituat, nostris temporibus præsertim accurate pertractandam.

34. Concludere igitur nobis, post considerationes hactenus breviter expositas fas est, soli Ecclesiæ Romanæ easdem proprietates, easdem notas, easdem denique dotes competere, quæ ab ipso Christo constitutæ sunt ad efformandam veram suam Ecclesiam.

35. Illa ergo firmiter tenere debemus : sola Romana Ecclesia est vera societas a Christo Domino instituta, in qua sola reperire est non modo verum fidei depositum ac veram divinamque revelationem, verum virtutis et vitæ magisterium, sed etiam vera

media necessaria ad salutem et felicitatem assequendas; qui finis est ad quem a Deo conditi et nati sumus, et extra quem nulla speranda salus.

THESIS 2ª.

De auctoritate veræ Christi Ecclesiæ.

1. Nomine auctoritatis hic præcipue intelligitur potestas subditos regendi secundum relativa officia. Sed officiorum in individuis duplex est ordo : altera nimirum spectant ad spiritum, altera ad corpus. Ergo duplex potestas, secundum illud Imperatoris, Novella 6: « Maxima quidem in hominibus sunt dona, a superna collata Clementia, Sacerdotium videlicet, et Imperium; et illud quidem divinis ministrans, hoc autem humanis præsidens ac diligentiam exhibens : ex uno eodemque principio utraque procedentia, humanam exornant vitam. »

Sed ea quæ procedunt ab eodem principio a Deo ordinata sunt; ergo non modo possunt, sed debent in humana familia coexistere *Ecclesia* et *Imperium*, utrumque juribus propriis decoratum et quamvis distinctum, tamen non abscissum.

2. Quod his juribus Imperium gaudeat, non hic

locus est ut verbum faciamus; an vero de his fruatur Ecclesia, sermonem instituimus.

Et si quis parumper ad historiam omnium sæculorum mentem vertere velit, facile convincetur Ecclesiæ semper hoc jus inhærens fuisse, semperque illo usam esse.

Apud Athenienses reapse varia fuere sacerdotum nomina, sed his omnibus, veluti præsides erant Panthei, quibus causarum judicia et arbitria rerum publicarum tribuebantur.

De Græcis, ait Alexander ab Alexandro, lib. 2, cap. 8: « Pontificem Summum Archierosynam habuisse, ad quem jus et moderationem sacrorum pertinere. »

Apud Egyptios, secundum a Rege locum sacerdotes tenebant, et sacris in causis summo imperio pollebant. Quid dicam apud Romanos de Rege sacrorum, quem regem sacrificulum vocavit antiquitas? Quid de Manlio Papirio, cui jus sacrificandi, nec non de sacris decernendis relictum fuit? Quid de Summis Sacerdotibus, quibus datum erat divinas cognoscere traditiones atque uti tales proponere populo; et si quid contra religionem esset, illam liberare, nec non de Vestalium capite decernere et ferre sententiam?

Quid de Judaico Sacerdotio, de Aaronis potestate et jurisdictione, de quo legitur in Deuteron., c. 17: « Veniesque ad sacerdotes levitici generis et ad judicem..... qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, et decreto judicis, morietur homo ille. »

3. Jam vero si sacerdotia hujus generis vera juris-

diclione, vera potestate pollerent; si Judæorum Sacerdotium tanta præcelleret dignitate usque ad Christi servatoris adventum, quid dicendum de vero Sacerdotio Christiano, quid de auctoritate veræ Christi Ecclesiæ? An illi deneganda, vel tanto major illi asseranda, quanto majori dignitate exsuperat cæteros religiosos hominum cœtus? Tanto veritas præstat figuræ, quanto lux meridiana tenebris præstat.

Utique asserenda potestas, et asserenda suprema, legislativa, coactiva.

4. Sed objectum auctoritatis veræ Christi Ecclesiæ sub triplici respectu considerari potest: nimirum vel respicit dogma, vel respicit mores, vel disciplinam.

Ecclesiam posse suam exercere auctoritatem, nempe ferre leges circa dogmata et circa mores, ultro fatentur adversarii.

Sed Lutherus atque Calvinus, Valdensium et Wiclephitarum vestigiis inhærentes, omnem Ecclesiæ denegarunt potestatem, illamque leges circa disciplinam ferre non posse contenderunt. Sed nos explanantes objectum disciplinæ et legum disciplinarium, esse profitemur quidquid conferre possit ad fidei defensionem morumque sanctitatem obtinendam, et contra hos omnes asserimus posse Ecclesiam hujusmodi disciplinares leges dare fidelibus in ordine ad Deum, ad proximum et ad semetipsos: quæ omnia efformare totidem objecta potestatis supremæ, legislativæ et coactivæ, ac proinde hanc statuimus propositionem:

Ecclesia divinitus accepit auctoritatem independentem atque supremam sanciendi per leges exteriorem

disciplinam, cogendique fideles ad earum observationem, et coercendi salutaribus pœnis devios et contumaces.

5. Hæc propositio, ut aperte videtur, tribus constat partibus, quas seorsim, claritatis causa, pertractare conabimur.

Et ad primam : Ecclesiæ inest divinitus auctoritas independens atque suprema sanciendi per leges exteriorem disciplinam.

Ad probationes : Christi vera Ecclesia est societas. Societas est conspiratio multorum hominum ad eumdem finem assequendum, id est, ad assequendum idem bonum ab omnibus cognitum et volitum. Non intelligitur societas nisi detur auctoritas, nisi in relationibus inferiorum, quæ sunt ejus objectum.

Ergo ut constituatur vera societas, hæc requiruntur : subjectum seu auctoritas, objectum auctoritatis seu subditi, finis communis, media communia ad finem illum obtinendum. Sed hæc omnia adamussim in vera Christi Ecclesia inveniuntur. Christus, apud Lucam, 10, 16, inquit : « Qui vos audit, me audit ; qui vos spernit, me spernit. » Et apud Matth., 28, 18 : « Data est mihi omnis potestas in cœlo, et in terra. »

Quibus verbis, Apostolis et præsertim Petro potestas fit christianam constituendi societatem, nullis deficientibus requisitis, ut ea legibus statutis usque ad consummationem sæculi conservetur.

Est perfectissima societas.

6. Major vel minor perfectio societatis ex eo optime dimetitur, quod major vel minor societatem componentium pars finem præstitutum assequatur. Atqui in

Ecclesia Catholica omnes assequi possunt finem illum; ergo est perfectissima societas.

7. Est distincta ab aliis societatibus.

1° Omnis revera societas civilis limitibus est circumscripta; de ecclesiastica autem legitur apud Regalem Prophetam (Psal. 71, 8): « Dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum. » Quæ verba explicat S. Cyrillus Hierosolymitanus, in Cath. 18, videlicet « per universum orbem diffusa a finibus terræ usque ad extrema. »

2° Societas civilis non potest constitui neque existere sine venia Principis; ecclesiastica vero hujus non indiget veniæ.

3° Civilis societas potest per obvenientes causas dissolvi; nunquam ecclesiastica his in circumstantiis concipi fas est.

4° Duæ denique, natura sua, necessario inveniuntur distinctæ societates, quarum finis est distinctus, distincta media distinctaque potestas. Atqui finis societatis civilis est temporalis, finis societatis ecclesiasticæ æternitate gaudet; sic et media sunt distincta. Demum potestas civilis dirigit suam vim ad bonum temporale, potestas ecclesiastica ad spirituale. Ergo Ecclesia societas est distincta a qualibet civili societate.

8. Est ab aliis independens.

Tunc dicitur societas ab aliis pendere societatibus, quando ejus auctoritas vel auctoritatis usus ab his societatibus dependet.

Atqui utrumque falsum in Ecclesia vera Christi.

1° Ecclesiæ enim auctoritas non est a qualibet so-



cietate civili; Christus revera in ecclesiasticos posuit Pastores omnem illam potestatem quam habuit in cœlo et in terra, ipsam potestate civili aperte distinxit in illis verbis: « Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari, et quæ sunt Dei Deo » (Matth., 22, v. 21).

2° Ex Christi jussu, Apostoli eorumque successores non modo independenter a sæcularibus Principibus ea usi sunt auctoritate, quinimo contra eorum edicta.

3° Anterior insuper est cuilibet societati Christi veræ Ecclesiæ societas, et ejus origo non in natura est quærenda nec hominum pactis, sed tota est divina, et a consiliis divinæ bonitatis et sapientiæ in hominibus defluens; ita ut æternus Dei Filius, Unigenitus, Patrique consubstantialis, cum in plenitudine temporum carnem assumpsisset humanam, non modo hominibus cœlestes nunciavit veritates, sed credentes in gratiam suam in unam conjunxit societatem, quam Ecclesiam vocavit, populumque suum appellavit, eo modo quo erat in Veteri Testamento figuratum, in illis vocibus Psalmistæ : « Filius meus es tu, ego hodie genui te. » Quæ verba Christus, apud Joan., 20, 21, confirmavit, cum dixit : « Sicut misit me Pater, et ego mitto vos » Ergo luculenter patet Ecclesiam societatem esse ex Christi divina institutione supremam atque independentem a qualibet alia societate.

9. Est liber usus ejusdem auctoritatis.

Divinus Magister revera conferens Apostolis suis Ecclesiæ missionem, illam exercendam dedit etiam contra Principum voluntatem (Act., cap. 4, 19). Ad optimates et seniores Judæorum « Petrus vero et Joannes respondentes dixerunt ad eos : si justum est in

conspectu Dei vos potius audire quam Deum, judicate. » Et apud Matth., 10, 18, Christus idem Apostolis adpromisit ante Reges et Principes verbum ipsum, in opportunitate deferre. Ergo societas Ecclesiæ veræ Christi est societas independens ab aliis societatibus non modo in principio auctoritatis, sed etiam in ejusdem usu; et ei divinitus tributa suprema ac legislativa auctoritas, non vero a sæculari potestate tradita.

Ergo rejicitur 1° illud Rationalistarum systema : Ecclesiam esse statum in statu, quasi nempe illa contineatur in hoc, veluti reipublicæ pars. « Forsitan Ecclesia, clamat peroptime Archiepiscopus Coloniensis, est societas in statu? Ecclesia Catholica status in statu? Illa, cujus nec limites sunt in orbe terrarum? Illa, cujus existentia ad consummationem sæculi venit? Illa, cujus opere omnes homines omnium temporum, omniumque nationum vitam spiritualem undique jam excepêre ac semper recipere debent? Illa, cui data est omnis potestas in cœlo et in terra ? (Matth., 28, 18.) Illa, cujus attributa immutabilitate gaudent ? Illa, cui Deus revelationis depositum credidit? Dum ex altera parte omnes status civiles suos fines habent, omnes status civiles ab universalitate abhorrent ? Ergo Ecclesia Catholica non est status in statu. »

Sed hic solent adversarii in medium objectiones proferre : Apostolum Paulum, ad Rom., 12, præcipere subjectionem sublimioribus potestatibus, idque exemplo suo confirmare, ex eo quod ad Cæsarem appellaverit, et Constantinum ipsum *Episcopum exteriorem* vocari. Atque merito; nam, teste Optato (lib. 3 Hist.

Donatist.): « Non respublica est in Ecclesia, sed Ecclesia in republica est. »

Quæ omnia nihilominus potius quam nostram infirment propositionem, illam confirmant. Et sane Apostolus Paulus quum subjectionem sublimioribus potestatibus commendat, illas considerat in ordine suo, scilicet ad civilia. Ac uti nos advertimus, duo sunt potestates summæ : *Pontificia* et *Regalis ;* et eo modo quo palatia imperii sunt Regis, eodem modo Ecclesia est Pontificis. Ergo ubinam contradictio, quando ipse Apostolus appellavit ad Cæsarem ob politicum seditionis crimen? Et Constantinus se dixit Episcopum exteriorem, veluti Principem obsequentem pontificiæ potestati, ut ejus decreta executioni mandarentur. Id enim confirmat effatum Optati, qui in ordine ad publicam quietem ait, Ecclesiam in republica exstare, non vero in ordine ad mutuam relationem. Loquebatur revera ad Donatistas (qui maledicebant Imperatoribus) eisque continuo commendat obedientiam Principibus in eo quod Principis est, secundum illud : « Cæsaris quod est Cæsari dare, quod Dei Deo. » Ergo ubinam ex hoc effato pontificiæ potestatis, regali auctoritati subjectio?

10. Jure meritoque rejicitur 2° systema illud territoriale, vi cujus quisque sæcularis Princeps fieret caput Christianorum intra sui territorii fines commorantium, ac ideo jurisdictionem in sacra exercere posset. Nam ecclesiastica est societas distincta a civilibus societatibus, et originem jactat rationabiliter divinam, supernaturalem, universalem.

11. Demum 3° illud rejicitur figmentum systema-

tis Collegii, quatenus Ecclesia imperantis indigeat approbatione : nam Collegium importat omnia individua æqualia; et in Ecclesia alii regunt, alii subsunt.

12. Denique 4° illa commentitia jura majestatica rejiciuntur, ex eo quod unaquæque societas sua habeat jura, unaquæque in suis finibus exstare debeat, secundum illud Gregorii II, in Epist. ad Leonem Isaur. : « Quemadmodum Pontifex introspiciendi in palatium potestatem non habet, sic nec Imperator in ecclesias introspiciendi. » Ergo vera Christi societas, seu Ecclesia est independens a quacumque civili societate.

Atqui societas vera, perfectissima, distincta ab aliis societatibus, independens, universalis, Summa in genere suo est necessario suprema, independens, legislatrix, causa regendi in ordine suos subditos; ergo Ecclesia vera Christi habet auctoritatem a Deo ipso supremam atque independentem sanciendi per leges exteriorem disciplinam.

Et hujusmodi auctoritate semper usa fuit a primordiis : ita Apostoli eorumque successores independenter a sæcularibus Principibus, imo contra expressa sæcularium Imperantium edicta Evangelium ubique gentium prædicarunt, credentes baptizarunt, ministrarunt Sacramenta, Concilia convocarunt, canones disciplinares secundum circumstantias emisere; circa dies festos celebrandos, circa jejunia frequentanda, circa ministrorum Ecclesiæ electionem et clericorum vivendi rationem. Et ex historia constat hoc in modo se gessisse Ecclesiam tribus prioribus sæculis. Postquam vero Constantinus dedit Ecclesiæ pacem, ita

Apostolorum successores de hac usi sunt potestate, ut Imperatores sæpe sæpius admonuerint ne se ingererent rebus ecclesiasticis, quas solis Episcopis Christus commiserat. Ita, ait Osius Cordubensis ad Constantinum Imperatorem : « .....Ne te rebus misceas ecclesiasticis..... Tibi Deus imperium tradidit, nobis ecclesiastica concredidit. » Et S. Ambrosius ad Valentinianum Imperatorem : « Ad Imperatorem palatia pertinent, ad nos ecclesiæ. » Item et Pelagius Papa ad Imperatorem Anastasium : « Duo sunt, Imperator Auguste, quibus principaliter mundus hic regitur : *auctoritas sacra Pontificum et regalis potestas.* Et ita deinceps.

Et sic satis faciam primæ propositionis parti : nunc ad secundum veniamus.

13. Id est non solum Ecclesia auctoritatem habet sanciendi per leges exteriorem disciplinam, sed etiam cogendi fideles ad veram observationem.

Quid enim esset lex si posset existere, et tamen non habere vim obligandi ? esset porro lex sine lege, et hoc sibi repugnantiam implicat. Hanc autem Ecclesiæ esse obligandi vim luculenter patet :

1° Ex illis divinæ revelationis verbis : « Posuit enim Spiritus Sanctus Episcopos regere Ecclesiam Dei. » Atqui regere est gubernare, et gubernium non intelligitur si auferatur e medio auctoritas superioris in subditos obligandos.

2° Habet Ecclesia potestatem judiciariam (Matth., 28, v. 17) : « Si te non audierit, dic Ecclesiæ. » Atqui sententia judicis sine potestate obligandi concipi nequit.

Arcadius et Honorius, Imperatores, ideo de hac veritate persuasionem tenuere, ut in l. 1, Cod. Theod., de religione aperte scripserunt: « Quoties de religione agitur, Episcopos oportet judicare. » Ergo vera Christi Ecclesia habet potestatem cogendi fideles ad legum observationem.

14. Sed denique ad tertiam propositionis partem: Habet, nec ne, Ecclesia coercendi salutaribus pœnis devios et contumaces potestatem?

Absque illa trepidatione reponimus ex jam delibatis posse Ecclesiam suis legibus sanctionem ponere. Quid enim lex est sine sanctione? Nihil aliud nisi vocabulum sine re. Ipsa revera normam agendi ponit, et præcipit illius sequelam. Quod si quis secundum ipsam agit, tunc juxta ordinem se gerit, proindeque secundum virtutem; quod si secus, contra ordinem se explicat adeoque in vitium incidit. Atqui virtuti relationem habet præmium, et vitio pœna; ergo posita lege, ponenda est et sanctio legis.

Id et jure constat et factis.

Jure. Clara sunt revera verba Christi: « Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus. » Unde, vides, Ecclesiam ex Christi auctoritate judicium emittere posse, delinquentem damnare, renitentem e societate ejicere, ideoque illi pœnam indicere.

In facto, Paulus minitatus est Corinthiis pœnas, nisi pœnitentiam egissent. Successores Apostolorum, quoties de religione actum est, sive in Conciliis, sive extra Concilia, Constitutiones edidere saluberrimas, in sontes pœnas censurasque inflixerunt, clericos modo

a suis officiis deponentes, modo laicos anathemate damnantes; quæ profecto nullo modo fieri possent, sine propria ac vera jurisdictione leges ferendi eisque potestatem imponendi sanctionem.

15. Sed hic quæri potest: quænam sit natura istarum pœnarum quæ ab Ecclesia imponi possunt?

Nullum etiam ab adversariis dubium movetur posse Ecclesiam pœnas imponere spirituales, quia in Scripturis apertissime hæc sententia fundatur, præsertim apud Matth., 18. Unde S. Augustinus, in re, ait (de Fide et Opere, c. 2) : « Nisi essent quædam in gravia, ut etiam excommunicatione plectenda sint, non diceret Apostolus : jam judicavi; congregatis vobis, et meo spiritu..... tradere hujusmodi Satanæ. »

Et Concilium Tridentinum, supponens hanc potestatem, dicit illam esse « nervum ecclesiasticæ disciplinæ ad continendos in officio populos valde salutarem et spiritualem gladium. » (Sess. 25, c. 3, de Reformat.) Et jure ac merito; quia hoc exigit ordinata qualibet hominum societas, et præcipue Ecclesiæ societas ex voluntate ipsius fundatoris, secundum illud Chrysostomi : « Nemo contemnat vincula ecclesiastica ; non enim homo est qui ligat, sed Christus, qui nobis hanc potestatem fecit. » (Hom. 4 in Epist. ad Hebr.)

16. At quæstio agitatur de pœnis corporalibus : utrum Ecclesia possit eas imponere?

Tres sunt opiniones : nonnulli asserunt Ecclesiam non posse constituere ullam pœnam corporalem ; alii, Ecclesiam posse, et etiam gravissimas; tertia opinio remanet eorum qui aiunt posse, sed mitiores.

Examen de his breviter tenemus. Et absque dubio primam rejicimus sententiam, ex eo quod Ecclesia suas ferat leges in individuis, et individua constent spiritu et corpore; hinc eo modo quo potest spirituales, potest et pœnas imponere corporales.

Rejicimus pariter alteram sententiam; et hoc ex spiritu Ecclesiæ, quæ est mater benigna, et ejus pœnæ non sunt vindicativæ, sed correctivæ.

Tertiam denique admittimus sententiam, et tenendam tuto putamus. Potest, uti diximus, ferre Ecclesia pœnas spirituales, potest et corporales, quia in individuis versatur.

Sed hæ sanctiones mitiores esse debent; Ecclesia enim est legislatrix : atqui legislator potest uti omnibus mediis aptioribus ad finem assequendum, dummodo : 1° non sint mala; 2° ne repugnent naturæ societatis; 3° non sint a legislatore prohibitæ. Atqui Ecclesiæ pœnæ temporales mitiores non sunt malæ, non contra naturam ipsius societatis, non interdictæ : ergo ab Ecclesia imponi possunt pœnæ corporales mitiores.

Ergo auctoritatem Ecclesia divinitus accepit, independentem atque supremam sanciendi per leges exteriorem disciplinam, cogendique fideles ad earum observationem, et coercendi salutaribus pœnis devios et contumaces, eo modo quo posset civilis potestas in genere suo; nam hæ duæ non modo non adversantur, sed etiam possunt insimul coexistere et debent illo unico criterio, quo jura Imperii et Ecclesiæ recte secernantur ex ipsa hominis distinctione, propter quam instituta sunt Ecclesia et Imperium. Atqui du-

plex illa est: una civilis et temporalis, altera spiritualis atque æterna; proinde quæ respiciunt directe ad civilem felicitatem sunt Cæsaris, quæ directe ad spiritualem sunt Ecclesiæ. Nihilominus, nec Imperium, quæ spiritualia sunt excludere debet, nec Ecclesia, quæ temporalia. Unde contradictio non asseritur, quum dicitur idem subjectum affici duabus summis potestatibus, cum hæc sint *summæ* in genere suo, et individuum considerent sub diverso respectu. Hinc falso concluditur illud criterium, quod omnia materialia confert Cæsari, omnia spiritualia Ecclesiæ.

Et ex qua simplici consideratione, ex juridica relatione inter Statum et Ecclesiam, etiam aliud validissimum argumentum deducitur ad probandam auctoritatem Ecclesiæ in legibus ferendis, eisque sanctionem vimque coactivam imponendi. Quod erat demonstrandum.

THESIS 3ª.

De dignitate, auctoritate ac jurisdictione R. Pontificis in Ecclesia universa.

1. Postquam in præhabitis disceptationibus breviter, sed clare probavimus Deum, misericordiæ ac bonitatis divitem, veram religionem hominibus per

verbum revelatum dedisse et Ecclesiam veram Christi, ideoque Romanam, veluti depositariam atque interpretem hujus constituisse doni; innuimus eodem tempore dictam Ecclesiam auctoritatem habuisse sive circa dogmata, sive circa mores, sive circa disciplinam leges ferendi proportionatas, de qua præterea usam realiter fuisse. Et hoc asseruimus, ex eo quod esset societas vera, perfectissima, suprema et independens.

2. Atqui societas intelligi nequit sine visibili capite, a quo moderatio communitatis dependeat, neque sine regimine; proindeque oportet ut Christianorum societas aliquo regimine gubernetur, aliquo visibili capite regatur, quod habeat primatum, id est præminentiam honoris et jurisdictionis in universam visibilem Ecclesiam.

Ejusmodi primatum Christum instituisse ac peculiari individuo contulisse denegant nonnulli; alii contendunt Christum immediate eum dedisse Ecclesiæ, quæ posset deinde aliquem eligere, ut illum exerceret.

3. Sed hæ assertiones falsitate laborant.

Christus revera dixit Petro, et immediate dixit (Matth., 16, 18) : « Et ego dico tibi quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. » Quæ verba ita S. Hieronymus commentatur : « Et ego dico tibi non sermone casso, et nullum habente opus, quia meum dixisse fecisse est. » Ergo divinus Institutor, considerans Petrum veluti fundamentum supra quod Ecclesiam suam ædificavit, de ea illi immediate regimen et auctoritatem dedit. Prosequitur enim Christus (apud Matth., loc. cit.) : « Et tibi dabo claves regni

cœlorum. » Atqui dare claves idem est ac dare prærogativam jurisdictionis. Jam vero ipsi adversarii fatentur Petrum habuisse primatum honoris; ergo Christus dedit Petro, et immediate dedit primatum honoris insimul et jurisdictionis.

Clara insuper sunt illa verba Joan., 21, 15 et seqq., Petro immediate a Christo directa: « Pasce agnos meos, pasce oves meas. » Unde S. Bruno, in Hom. dicta in vigilia festi S. Petri, de eodem inquit: « Prius agnos, deinde oves (Christus) commisit; quia non solum pastorem, sed pastorum pastorem eum constituit. Pastor dicitur scilicet, ut generatim greges pasceret, pastor pastorum, ut etiam alios Apostolos præminentia honoris et jurisdictionis præcelleret atque regeret. » « Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. » (Luc., 22, v. 31.) « In Petro reapse (ut ait S. Leo, Serm. 3, in annivers. Assumpt. suæ) omnium fortitudo munitur, et divinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, ut firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur. » Hinc S. Cyrillus Alexandr. (lib. 12 in Joan.) vocat Petrum « cæterorum (Apostolorum) Caput ac Principem. »

Ergo Christus instituit primatum honoris et jurisdictionis in peculiari individuo, id est in Apostolo Petro, et immediate.

Ergo Petrus illum primatum in universam Ecclesiam non accepit ab ipsa Ecclesia.

Ergo Paulus et Petrus ita vocantur Principes Sacerdotum, Principes Ecclesiarum, quia ambo præcipuo quodam virtutum merito in Ecclesia fulserunt; quia aliqua fuit divisio ministerii inter Petrum et Paulum :

non autem quia ipsis fuisset a Deo eadem collata dignitas, eadem auctoritas, eadem jurisdictio in Ecclesia universa.

Scimus utique illud egregium factum antiquissimum divisionis inter Petrum, junctis Joanne et Jacobo, et Paulum, juncto Barnaba, initæ ita ut Petrus cum Jacobo et Joanne erga Judæos, Paulus cum Barnaba erga gentes Apostolico munere fungerentur; sed scimus etiam ex ipso Paulo (cap. 2 Epist. ad Galatas) Petro liberam semper fuisse in omnes, ubi opportunum videretur, potestatem; ergo primatus jurisdictionis in Ecclesia universa erat in solo Petro.

4. Atqui Petrus, Antiocheno Episcopatu relicto, Romam se transtulit, inter gentes Ecclesiam fundaturus ibique Episcopatum constituit, usque ad mortem illum rexit.

Hoc revera tenuit tota antiquitas a S. Clemente, Lini in Pontificatu successore; hoc et sana recentior critica; id demonstrant Romanorum Pontificum catalogi; id monumenta sive sacra, sive profana; id denique fides universalis populi Christiani.

Ergo vel omnis historica auctoritas rejicienda est, vel illa tria admittenda.

Primum implicat sibi repugnantiam, remanet et secundum.

Ergo nullo modo læditur nostræ propositioni, si hæc veritas non inveniatur in Sacris Litteris, ex eo quod nobis a traditione non dubia mandata fuit; nam non reperitur a solo Papia, ut objiciunt adversarii, sed ante illum inventi fuere testes in Clemente et Ignatio.

5. Atqui Petro Principi Apostolorum, sive in Episcopatu Romano, sive in primatu successerunt Romani Pontifices; proindeque, contra sententiam Wiclefi, « quod Papa sit Summus Pontifex est ridiculum, » et contra sententiam Joannis Huss: « Non est scintilla apparentiæ quod oporteat esse unum Caput in spiritualibus regens Ecclesiam, » asserimus dignitatem, auctoritatem, jurisdictionem Romani Pontificis in Ecclesia universa, et hanc statuimus propositionem :

Romani Pontifices, Petri in Episcopatu Romano successores, illius primatum divino jure obtinuerunt, non autem humana sive ecclesiastica, sive politica dispositione; proindeque eorum dignitas, auctoritas, jurisdictio versatur in Ecclesia universa.

Et probo :

6. « Petrus, ut loquitur S. Leo, de toto mundo unus eligitur, qui et universarum gentium vocationi et omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiæ Patribus præponatur; ut quamvis in populo Dei multi sacerdotes sint multique Pastores, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit et Christus. »

Petri igitur est ut præponatur omnibus Apostolis, ut omnes proprie regat. Atqui suprema illa potestas non interiit cum Petro, sed ex Christi voluntate in Petri successores migrare debuit, et migravit. Christus enim ei illam potestatem dedit tamquam Ecclesiæ fundamentum; tamdiu idcirco durare debet, quamdiu Ecclesia durat. Sed Ecclesia perdurat usque ad consummationem sæculi; ergo Petro vita functo, in legitimum successorem Petri transiit dicta suprema potestas. Atqui successor legitimus Petri est Romanus

Pontifex ; ita revera definitum fuit in Concilio Florentino, utriusque Ecclesiæ Latinæ et Græcæ in definit. fidei : « Definimus Sanctam Apostolicam Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum esse successorem B. Petri, Principis Apostolorum et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ Caput et omnium Christianorum petram et doctorem existere; et ipsi in B. Petro pascendi, regendi, gubernandi Ecclesiam universalem plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis Œcumenicorum Conciliorum et in sacris canonibus continetur. »

Et hæc suprema potestas Petri transiit in Romanum Pontificem, ejus successorem, eo modo quo fuit in Petro. Atqui Apostolus hic illam a Christo tenuit immediate; ergo et R. Pontifex divino jure immediate illam habet, non autem ab humana sive ecclesiastica, sive politica dispositione.

Hinc recte S. Thomas, in Opusculo 16 vel 19 contra impugnantes Dei cultum et religionem, cap. 3 : « Papæ, inquit, immediatam jurisdictionem in omnes Christianos, quia Romana Ecclesia nullis synodicis constitutis cæteris Ecclesiis prælata est, sed evangelica voce Domini et Salvatoris nostri primatum obtinuit, ut habetur in decretis, dist. 21, cap. Quamvis. Ergo errant adversarii, dicentes Romano Pontifici supremæ dignitatis prærogativam non esse divini juris, sed vel ab Ecclesia, vel ab Imperatoribus illam ei tributam; nam hoc asserentes, non modo irruunt contra Concilium Florentinum et contra D. Thomam jam relatum, sed etiam contra universam antiquitatem omnium sæculorum.

7. S. Irenæus revera (lib. 3 ad Hæreses, cap. 3) ita respexit R. Pontificem veluti verum atque legitimum Petri successorem ejusdemque dignitatis hæredem, ut loquens de Ecclesia Romana dixerit : « Ad hanc Ecclesiam, propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam. » Sic Tertullianus, Optatus Melivetanensis, Hieronymus aliique. Id concludunt gesta Victoris, R. Pontificis, in quæstione de Paschatis celebratione, in Asia, sæculo II, exorta; in qua, ex ea ratione illi Pontifici intervenire datum fuit, quia esset Ecclesiæ universalis legitimus ac supremus Moderator.

Id renunciatur ex agendi ratione Stephani, R. Pontificis, qui supremæ jurisdictionis causa in Ecclesia universa, ad se advocavit controversiam rebaptizantium, sæculo III, in Africa exortam.

Idem concludit, sæculo IV, provocatio Athanasii Alexandrini, Pauli Constantinopolitani, nec non aliorum Ecclesiæ Orientalis Pastorum, contra Arianos, ad Julium, R. Pontificem, veluti ad judicem supremum Ecclesiæ universalis, cujus dignitas et auctoritas propter justitiam deponeret audaciam atque Arianorum sævitiam; et sic de aliis sæculis.

8. Idem recta ratio et infinita sapientia divini Institutoris confirmat. Cum enim sit Christi Ecclesia unum corpus et unum ovile, necessarium erat ut unum esset Caput; secus enim schismati daretur occasio, et frustra desideraretur illa unitas sacerdotalis, de qua loquitur S. Cyprianus (Epist. 55), et illa unitas Cathedræ ab omnibus servanda, juxta quod scripsit S. Optatus (lib. 2, contra Parmen.).

9. Quam tamen auctoritatem supremam non solum tribuit sibi Ecclesia Romana, sed etiam Episcopi per universum terrarum orbem semper agnovere. Quis enim erat Episcopus, etiam a Sede Romana longissime degens, qui, exorta in propria Ecclesia sive hæresi, sive controversia, non peteret illico Sanctam Sedem, et Romano Pontifici omnia deferret? Quis enim erat Episcopus, qui, aliis cum Episcopis jura propriæ Sedis controvertens, judicem non inveniret in R. Pontifice?

Ergo Romanus Pontifex est verus et legitimus successor Principis Apostolorum in Episcopatu Romano, et obtinet ejus primatum jure divino; ejusque dignitas, suprema auctoritas, jurisdictio versatur in Ecclesia universa.

10. Sed quomodo hæc dignitas, auctoritas ac jurisdictio in universa habetur Ecclesia?

Non in singulas Ecclesias distributive sumptas, ut autumant adversarii, sed in Ecclesiam universam, sive in Ecclesias collective acceptas. Quid enim Christus supra petram ædificavit? Forsitan parietes tantum, vel melius totum Ecclesiæ ædificium? Ait divinus Institutor : « Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, » nimirum totam Ecclesiam, non autem Ecclesias distributive consideratas : Ecclesiam illam scilicet, contra quam portæ inferi non prævalebunt. Atqui si essent Ecclesiæ distributive sumptæ, portæ inferi possent prævalere; et hoc in casu, ubinam Christi promissionis observatio? Quænam esset Ecclesia illa cui Deus suam promisit adsistentiam? Quænam illa Ecclesia cui facta esset

potestas ligandi et absolvendi? Ergo R. Pontifex habet supremam potestatem non supra singulas tantum Ecclesias, sed supra Ecclesiam collective sumptam.

Hinc S. Bernardus, in lib. 2 Consid., sic alloquitur Eugenium IV : « Sunt quidem et alii cœli janitores, et gregum Pastores. Habent illi assignatos greges, singuli singulos : tibi universi crediti; uni unus. Nec modo ovium, sed et pastorum, tu unus omnium Pastor. » Unde id probe quæris? Ex verbo Domini. Cui enim non dico Episcoporum, sed etiam Apostolorum sic absolute et indiscrete totæ commissæ sunt oves? « Si me amas, Petre, pasce oves meas. » Quas? Illius, vel istius populos civitatis, aut regionis, aut certi regni? Oves meas, inquit. Cui non planum non designasse aliquas, sed assignasse omnes? Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil.

11. Ex quibus considerationibus igitur luculenter deducitur, ut ab uno Pontifice Maximo Ecclesiæ universæ, uti universæ, pendere debeant, ut Episcopi cæteri, quacumque fruantur dignitate, Illi subsint.

Hinc facile deducitur, R. Pontificis esse circa fidem et dogmata in universa Ecclesia proponere normas, circa mores in universa Ecclesia regulas constituere, quoad disciplinam ecclesiasticam in universa Ecclesia leges ferre.

Hinc facile deducitur, R. Pontificis dignitatis, auctoritatis, jurisdictionis esse Concilia convocare Generalia, illis præesse, in illis proponere et pertractare doctrinas.

Ex hoc plane intelligitur qua ratione factum fuerit ut reservationes inducerentur, ut admitterentur

exemptiones, evolutiones; et quo jure Bonifacius VIII (in cap. 2 de Præbendis, in 6) poterat dicere « plenariam dispositionem beneficiorum in universa Ecclesia ad R. Pontificem pertinere. »

Ex quo optime concipitur certis de causis Romanos Pontifices jurisdictionem exercere in singularibus Episcoporum diœcesibus, uti pallio quocumque gradum moveant (cap. 4 de Auctoritate et Usu pallii) in quacumque orbis terrarum diœcesi incedere, præeunte cruce.

Ex consideratis, facile intelligitur qua ratione et jure ex causis majoribus ad R. Pontificem appelletur.

12. Appellatio revera est subsidium miseris, quo a judicio inferioris ad superioris judicium provocatur. In vim itaque Pontificii Primatus snbsunt universi Episcopi jurisdictioni R. Antistitis, ut corrigantur sive defecerint, sive excesserint. Quæ appellationes revera ex omnibus terræ finibus, vel a remotissima ætate sunt repetendæ; ita ut non modo Catholici ad Pontificem Maximum provocarint, sed etiam et hæretici. Quod et validissimum efformat argnmentum, ad demonstrandum R. Pontificis in universa Ecclesia Primatum.

Unde luculenter apparet jus hujusmodi appellationis non dedisse Ecclesiæ Romanæ Concilium Sardicense, uti autumant contradictores, sed ex sua institutione Pontifici Maximo convenit. Concilium vero Sardicense, in can. 3, 4 et 7, sæcul. IV, Romano Pontifici solum illud vindicavit contra Arianorum factiones, et quoad illius exercitium amplificavit.

Africani etiam Antistites hoc jus in Romano Pon-

tifice cognoverunt, propter eaque summo jure ad eumdem appellationes interponi posse non inficiabantur; sed tantum illas denegare voluerunt in his adjunctis propter abusus, æquitate quadam sibi proposita, summi juris regulas non attendentes.

13. Postremum denique argumentum, ad probandam R. Pontificis jurisdictionem in Ecclesia universali, desumitur ex praxi constanti Conciliorum Œcumenicorum mittendi ad R. Pontificem acta ut ab eo confirmarentur.

14. Ex his omnibus perspicue concludere fas est, Romanum Pontificem verum ac legitimum esse Petri Principis Apostolorum successorem in Episcopatu Romano, habere Primatum honoris et jurisdictionis in Ecclesia universa jure divino, non autem humana sive ecclesiastica, sive politica dispositione; legitime ab initio exercuisse et adhuc exercere in eadem Ecclesia universa collective sumpta supremam dignitatem, auctoritatem, jurisdictionem sive in rebus fidei definiendis, sive in regulis morum proponendis, sive denique in legibus ferendis disciplinaribus, ad fidei defensionem morumque sanctitatem obtinendam. Et hoc erat in præsenti disceptatione demonstrandum.

DE DEO

DIVINISQUE EJUS ATTRIBUTIS.

THESIS 4ª.

De unitate Dei.

---

1. Ex breviter probatis in anteactis disceptationibus, luculenter apparet veram religionem homini hoc in orbe terrarum datam esse per verbum revelatum; verbi revelati depositum sive scriptis concreditum, sive traditione mandatum, veræ Christi Ecclesiæ commissum fuisse; quam Ecclesiam fundamentum tenere in Apostolis, ac præsertim in Principe Petro, cujus legitimum successorem esse Romanum Pontificem quem, ratione Primatus, suam supremam dignitatem, auctoritatem ac jurisdictionem in Ecclesia universa exercere.

2. Sed hæc omnia mirabilia a quonam originem ducunt?

A Deo Optimo Maximo, cujus existentia contra atheos ne parumper quidem in dubium revocari potest.

Id enim exigit mundus et quidquid in mundo est, quia finitum, mutabile, contingens; et quum non habeat in se rationem existentiæ suiipsius, repetit illam ab Ente extra se, a Deo. Id desiderat adspectabilis hujus mundi machina ex sua dispositione : in cœlis reapse astrorum numerus est in ordine, et secundum ordinem cursus complent; in terris, aquæ erumpunt, ubi earum expetit natura, ac efformant rivulos et flumina, et fluunt ad felicitatem humanæ societatis. Ast ordo subaudit ordinatorem; et ordinator hujusmodi non est nisi Deus.

Id demum concludit omnium populorum, omnium temporum locorumque consensus, qui non potest ortum trahere nisi a natura, nisi a Deo : ergo Deus existit.

3. Sed quid est Deus, et in quonam ejus essentia consistit?

« Deus, inquit Tertullianus, substantiæ ejus nomen est, id est divinitatis : Dominus autem non substantiæ, sed potestatis. »

Essentia, ut aiunt Philosophi, cujuscumque entis est id, quod eidem maxime intimum est et ex quo cætera dimanant, ac primo proinde in eo concipitur, et non modo a reliquis rebus omnino distinguitur, sed etiam res ipsa in suo esse constituitur.

Loquentes ergo de essentia Dei, illam perfectionem nominamus, quam primum in Deo concipimus, et ex qua cæteræ omnes originem ducunt.

Intelligimus illam primam rationem, per quam

Deus differt ab omnibus creaturis. Quæ prima ratio solet a Theologis Aseitas nuncupari, secundum illud Exod. 3 : « Deus, interroganti Moysi quis esset, respondit : Ego sum qui sum. Sic dices filiis Israel : Qui est, misit me. »

Hinc D. Thomas (p. 1, quæst. 13, art. 11) recte allegat verba S. Joan. Damasceni (libr. 1 de Fide orthod., c. 3) dicentis « principalius omnibus, quæ de Deo dicuntur nominibus esse Qui est. »

4. Ex Aseitate igitur omnes in Deo dimanant aliæ cæteræ proprietates, perfectiones, dotes, attributa nimirum, quibus divina natura consistit, aut instructa esse concipitur.

Quæ attributa solent in tres classes dispertiri.

1° Alia dicuntur absoluta, et sunt potissimum : unitas, simplicitas, immensitas, infinitudo, æternitas, immutabilitas, et cætera.

2° Alia sunt relativa ad res creatas, ut visibilitas Dei, scientia, voluntas, providentia, prædestinatio ac reprobatio.

3° Demum relativa ad Divinas Personas, ut Paternitas, Filiatio et Spiratio.

4° Quæ vero attributa, aut perfectiones sunt vel simpliciter simplices, vel simplices secundum quid ; proindeque inveniuntur in Deo vel Formaliter, vel Eminenter, aut Virtualiter.

5° Nos, ut recto tramite ac ordinatim pergere possimus, tres disceptationes in tribus hisce classibus redigere conabimur. Ac in præsenti præcipue pertractamus de Unitate Dei, ex qua deinde veluti totidem corollaria, alia primæ classis attributa aperte recensemus. Sit igitur

PROPOSITIO :

DEUS EST UNUS.

6. Loquentes de hoc Divini Entis attributo, semper præ oculis tenere debemus errores adversariorum, quos ab antiquissimis mundi temporibus veram hac in re doctrinam dehonestarunt, sive illam theoretice consideres, sive practice animadvertas; et id, ut facilius nostris argumentis hujusmodi turbam refellere possimus.

7. Primus inter errores, qui hominibus exhibetur est Polytheismus, qui consistit nimirum in professione et cultu plurimorum Deorum : unde jure confunditur cum idololatria. Per idololatriam Gentiles, homines sive virtute præclaros, sive vitiis onustos, veluti Deos colebant, alios in cœlum elatos, alios ad Elysios, quosdam ad inferos. Hinc Cicero (de Natura Deorùm, cap. 24) hæc in re habet : « Suscepit autem vita hominum consuetudoque communis, ut beneficiis excellentes viros, in cœlum fama et voluntate tollerent. » Hinc Hercules, hinc Castor et Pollux, hinc Esculapius, hinc Liber etiam.

Per idololatriam Pagani cultus habebant vel animantibus, vel elementis, vel astris, ita ut crederent in his divinitatem aliquam sedem tenere. Quam methodum concipiendi et agendi Dei unitati apertissime lædere, neminem præterit.

Et sic de Polytheismo.

2° Alter error inter antiqulssimos est Dualismus, qui generatim consistit in profitendis duobus princi-

piis, boni ac mali, sive hæc principia sint absoluta, improducta et ad invicem independentia, sive principium malum productum sit. Hujus autem systematis venit origo ex corrupta traditione lapsus Angelorum, ac maxime inter Orientales vitam habuit, secum ferens Dei unitati magnum detrimentum, saltem in obliteratis hominum mentibus.

3° Tertius denique error est Tritheismus, qui sæculo VI, in Ecclesia ortum duxit, sed in nativitate periit.

8. Contra hos errores, argumentis tum ex Scriptura, tum ex traditione, tum ex ratione theologica depromptis, Dei unitatem probare conamur. Unitas enim Dei est dogma in Scripturis immediate revelatum, et ab Ecclesia clare propositum. Nunc ad probationes.

Et ex Scriptura.

9. In Deuteron. (cap 32, v. 39) : « Videte, inquit Deus, quod Ego sim solus, et non sit alius Deus præter me. » In eod. Deuter. (cap. 6, v. 4) habetur : « Audi, Israel, Dominus Deus noster, Dominus unus est. » Et in Psal. 82, v. 19 : « Tu solus altissimus in omni terra. » Deus igitur, ex Sacris Litteris Vet. Test., est solus, est unus, est altissimus. Si solus, et unus; ergo ubinam pluralitas Deorum? Si Altissimus; ergo solus.

Clarius idem evincitur ex Nov. Test.

Apostolus Paulus (1ª Corinth.) hæc verba tenet : « Scimus quia nihil est idolum in mundo, et quod nullus est Deus, nisi unus. » Ex Divo Apostolo igitur non dantur in mundo idola. Ergo non Polytheismus, qui non est nisi Idololatria. Et curnam? Quia Deus

intelligi nequit nisi unus; quia, ut ait idem Paulus (ad Ephes., 4, 5) : « Unus Deus et Pater omnium, qui est super omnes. » Si ergo est Pater omnium, est super omnes, est summus; ergo est unus.

Quod et Christus repetit apud D. Marc. (**12**, **29**) : « Audi, Israel, Dominus Deus tuus, Deus unus est. »

Ex Sacris Litteris igitur aperte concluditur unitas Dei : ergo e converso impugnantur expositi errores.

10. Neque offenditur nostra propositio, si in Scripturis persæpe sermo agatur de pluribus Diis; nam ibi nomen Dii vel sumitur ad mentem Gentilium, qui nomen Dei solebant idolis tribuere, vel sumitur ad designandos viros dignitate sublimes, aut virtute præclaros, vel denique ad insinuandam in Deo pluralitatem personarum : et adeo hoc innititur veritati, ut Moyses in Pentateucho Monotheismum primam fuisse religionem apertissime probat.

Ergo ex Scripturis non exhibetur Polytheismus. Ast neque Dualismus; nam testimonia, quæ ab adversariis solent in medium, oppositionis causa proferri, non modo non propugnant eorum opinionem, quinimo illam infirmant.

Dicunt revera Ecclesiast. (in cap. 33, v. 15) indicasse duo principia, malum et bonum : « Contra malum bonum est..... duo, et duo, et unum contra unum. » (Item et cap. 40, v. 25.) At falso : ibi enim non innuitur ad insinuanda duo principia, bonum et malum; sed solum sermo habetur de illis malis, quæ unicuique bono opponuntur sive ex hominum perversitate originem ducant, sive ex Dei punitione veniant.

Et sic dicendum de illo Amos (3, 6) : « Si erit malum in civitate, quod non fecerit Dominus. » Nam inibi, secundum Aug., loquitur Propheta de malo pœnæ, quam a Judæis Deus merito repetebat : ergo ne Scriptura quidem Dualismum tuetur.

Ergo ex Sacris Litteris luculenter nostra evincitur propositio.

11. Sed apertissime etiam ex traditione eruitur. Tertullianus revera (in lib. 1 contra Marc., cap. 3) : « Deus, inquit, si non unus est, non est. » Et jure ac merito ; nam Deus est ens perfectissimum, quo majus nec esse, nec excogitari potest ; ergo est unus, secundum illud S. Cypriani, in libr. de Idolorum vanitate : « Unus igitur omnium teneat potestatem, » et juxta S. Athanas. in Oratione contra gentes : « Multiplicitatem Deorum esse nullitatem Deorum. »

Hinc recte ratiocinatur Lactantius (de Ira Dei, cap. 11) : « Si multi sint Dii, dum habent singuli potestatis aliquid ac Numinis, summa ipsa decrescit : nec poterunt singuli habere totum, quod est commune cum pluribus ; unicuique tantum deerit, quantum singuli possidebunt. »

Quæ veritas fuit tam diffusa in hominum natura, ut etiam antiqui Philosophi, quamvis plures colerent Deos, tamen illos considerarent in unum ; ita ut crederent ipsum Summum Jovem diversas induere formas, diversis decoratum fuisse titulis.

12. Attamen, objicies, non omnes ex SS. Patribus eamdem in re tenuere doctrinam, ita ut S. Basilius (in Epist. 8) neget Deum esse numero unum.

Ast peroptime in sensu suo id tenet S. Doctor ; et si

aliter dixisset, in errorem incidisset. Ipse enim nomine unitatis intelligit, in cit. loc., unionem et compositionem partium, quæ certe in Deo non est : « Deum, ait, simplicem et incompositum fatentur omnes : non igitur unus numero est Deus. »

13. Ex quo merito, in Symbolo Nicæno dicitur : « Credo in unum Deum ; » et in fidei professione edita a Concilio Generali Lateranensi IV (cap. Firmiter) habetur : « Firmiter credimus et simpliciter confitemur quod unus est verus Deus. » Et unus hic non specifice, sed numerice intelligi debet; adeo ut Dei unica et singularis sit natura.

14. Id et recta ratio suadet. Deus enim est ens a se, ens perfectissimum : atqui ens hujusmodi esse non potest nisi unicum. Ponamus parumper entia ita considerata fuisse plura. Hæc vel haberent omnes et easdem perfectiones, vel non. Si primum, tunc hæ perfectiones non essent necessariæ et ens a se est necessarium ; si alterum, entia illa, quæ hisce carerent perfectionibus essent limitata et finita : ergo vel nullus Deus, vel unus.

Ergo unitas in Deo evidenter apparet.

15. Quod et concluditur etiam ex aliis attributis, quæ Dei exornant essentiam, quæ a Dei profluunt Aseitate.

Deus revera est immensus, nimirum ejus intima præsentia inest omnibus locis, omnibus rebus sive spiritualibus, sive corporeis. Regalis Psalmista (Ps. 138, v. 7) ait de Deo : « Quo ibo a spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam ? Si ascendero in cœlum, tu illic es : si descendero in infernum, ades. » Hinc S. Augustinus

(Epist. 187, ad Dardanum, cap. 4, n. 14, tom. 2) : « Sic est Deus, inquit, per cuncta diffusus, atque ita per totum totus. »

« Magnus est, et non habet finem : excelsus et immensus » (Baruch, 3, v. 25). Hinc S. Augustin. (lib. 9 de Genes. ad litt., cap. 26) : « Deus est extra omnia non exclusus, intra omnia non inclusus, supra omnia non elatus, subter omnia non depressus, interior omni rei, quia in ipso sunt omnia, exterior omni rei, quia ipse est super omnia. »

Est igitur Deus magnus, sine fine, super omnia : ergo est immensus. Est immensus : ergo est unus.

16. Deus est simplex. Simplicitas revera in compositionis negatione consistit; inde vere dicitur simplex, quod partibus non coalescit.

Compositionis species tres sunt : physica, quæ constat partibus realiter distinctis ; metaphysica, quæ ortum trahit ex potentia et actu ; logica demum, quæ venit ex genere et differentia.

Est compositio vel realis, vel rationalis : prima, quum partes realiter distinctæ habeantur ; secunda, quum distinctio partium ex nostra mente, ex conceptu nostro exurgat.

17. Deus igitur est carens omne compositione reali.

Et probo. Deus est purissimus actus, est ens necessarium, excludens omnem potentialitatem, quæ inest compositioni reali : ergo Deus est simplex. Ait Joan. de Deo (4, 24) : « Spiritus est Deus. » Spiritus opposite ad corpus. Ergo si corpus ad materiam dicit, spiritus ad simplicitatem : « Deus enim adorandus est in spiritu et veritate, » Deo tribuuntur nomina abs-

tracta; ergo Deus est simplex : et hoc ex Scriptura.

Patres id probant, quum ad examen redigunt essentiam Dei ejusque attributa. Deus est ens a se, et quod habet est: ergo est simplex. Dei conveniunt attributa, quæ omnem compositionem respuunt: ergo est simplex. Hinc peroptime S. Bernardus, in re, ait (l. 5 de Considerat., cap. 6): « Deus purus est, simplex, integer, perfectus, constans sibi, nihil de temporibus, nihil de locis, nihil de rebus trahens in se; unum quippe est, sed non unitum: non partibus constat, ut corpus; non affectibus distat, ut anima; non formis substat, ut omne quod factum est; ipse sibi forma, ipse sibi essentia est. » Hinc Ecclesia Catholica (in Concil. Lateranens. IV, cap. Firmiter) definivit: « In Deo unam esse essentiam, substantiam seu naturam simplicem omnino. »

18. Ergo Deus, contra anthropomorphitas, expers est corporis; et si in Scripturis illi tribuantur caput, pedes, oculi, metaphorice id fit. Ergo in Deo non datur realis distinctio, contra Gilbertum Porretanum, et contra Gregorium Palamam, inter essentiam et attributa divina. Et si dentur testimonia Patrum, quæ innuere videntur ad realem distinctionem, accipienda sunt de distinctione virtuali. S. Augustinus revera inquit: « Deo aliud esse, quod Deus sit, aliud quod Pater, et similiter Filium non esse Verbum, quo Sapientia, verissimum est; quia licet reipsa idem in Patre sit Divinitas et Paternitas, idemque in Filio Verbum et Sapientia, virtualiter tamen idem non est. »

Ergo Deus est simplex. Est simplex; ergo est unus.

19. Deus est immutabilis. Mutabilitas revera tunc

habetur, cum ens deperdet aliquid de quo decoratum est, vel acquirit aliquid quo carebat. Deus vero est ens necessarium, est ens a se, est simplex, est actus purus excludens omnem potentiam; ergo neque aliquid potest perdere, neque acquirere; ergo mutabilitati non subjicitur, juxta illud Malach., 3 : « Ego Dominus et non mutor. » Hinc Gregor. Mag. (Moral., libr. 12, cap. 33, n. 38) in illis verbis Jacob., 1, 17 : « Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis adumbratio, » ait : « Ipsa mutabilitas umbra est, quæ quasi obscuraret lucem, si hanc per aliquas vicissitudines permutaret; sed quia in Deo mutabilitas non venit, nulla ejus lumen umbra vicissitudinis intercedit. »

Ergo quum in Scripturis videtur Deus mutabilitati subjectus, verba metaphorice intelligenda sunt, non realiter; Deus enim in Sacris Litteris loquitur intelligentiæ hominum. Ergo falsitate laborant Stoici, qui mutationi Deum obnoxium effutierunt : ergo, contra Socinianos, Deus immutabilis est non solum in sua subtantia, sed etiam in decretis, quia purissimus actus est; et uti talem definivit Concil. Lateran. IV, in cap. Firmiter; idem legitur in Concilio Nicæno, in decreto de Fide (S. Ambros., de Fide, libr. 1, c. 18, n. 120). Ergo Deus est immutabilis. Est immutabilis; ergo est unus.

20. Deus est infinitus, id est, in re, complectens essentia sua omnes perfectiones, juxta illud Ps. 144, v. 3 : « Magnus Dominus, et laudabilis nimis, et magnitudinis ejus non est finis. »

Et jure ac merito; nam est ens necessarium, est illimitatum : ergo potest invenire neque finem, neque terminum illius virtutis et perfectionis. Hinc recte,

ait, per hoc attributum S. Maxim. (in cap. 2, de Cœlesti Hierarchia S. Dionysii Areopagitæ) : « Deum nulli termino subjectum esse, sed ipsum terminum omnium existere, et cuncta in se ipso terminare, termino autem non esse subjectum. »

Ergo a vero aberràvit Hobbes in Leviatham, p. 1, c. 8, et in aliis suis operibus, quum negavit Deo veram et absolutam infinitatem.

Ergo Deus est infinitus. Est infinitus ; ergo est unus.

21. Deus denique est æternus. Deus est immutabilis, infinitus ; ergo est æternus : æternitas enim est interminabilis vitæ tota simul et perfecta possessio. Hic reapse vocabulum æternitatis in proprio sensu accipitur, juxta quod inquit Paulus (1 ad Timoth., 2) : « Deus solus habet immortalitatem. » Ergo neque incipit, neque desinit. « Priusquam montes fierent (exclamat Regalis Propheta, in Psal. 82, 2), aut formaretur terra et orbis, a sæculo et usque in sæculum, tu es Deus. » Et jure ; nam ratio æternitatis, ut ait S. Thomas (1, p. 9, 10, art. 1), « consequitur immutabilitatem, sicut ratio temporis consequitur motum ; unde quum Deus sit maxime immutabilis, sibi maxime competit esse æternum. »

Ergo Deus est æternus. Est æternus ; ergo est unus.

22. Ergo sive consideres Deum in intrinseca ipsius essentia, sive enumeres intrinseca ejus naturæ attributa, sive argumenta depromas ex Scripturis, ex traditione, ex ratione theologica, facile ac evidenter concludes Deum Optimum Maximum esse unum. Et sic satis fecimus primæ recensitæ classis de divinis attributis. Nunc ad secundam classem.

DE DIVINIS ATTRIBUTIS

AD RES CREATAS RELATIVIS.

THESIS 5ª.

1. Agentes de divinis attributis, quæ relativa sunt ad res creatas, a magni momenti Theologis solet disputari de Dei visibilitate, de scientia, voluntate, providentia, prædestinatione ac reprobatione. Sed nos de his quatuor prioribus compendiose sermonem habentes, loquemur prolixius in thesi de prædestinatione, ac demum veluti per corollarium de reprobatione.

2. De visibilitate Dei itaque quærendum est : 1° quænam ipsa sit? 2° quibusnam in modis in Deo consideretur?

Nomen visionis, ut ait S. Thomas (1 p., q. 67, art. 1) : « Primo impositum est ad significandum actum sensus visus; sed propter dignitatem et certitudinem hujus sensus, extensum est hoc nomen, secundum usum loquentium ad omnem cognitionem alio-

rum sensuum : dicimus enim vide quomodo sapit, vel quomodo redolet, vel quomodo est calidum; et ulterius etiam ad cognitionem intellectus, secundum illud Matth., v. 8: « Beati mundo corde, quoniam « ipsi Deum videbunt. »

3. Visio autem est vel abstractiva, scilicet quatenus in specie aliena habetur, vel intuitiva, scilicet in re ipsa, vel demum comprehensiva, qua res cognoscitur in eo quod ipsa cognoscibilis est.

4. Visio intuitiva in hac mortali vita naturaliter est impossibilis. « Lucem inhabitat inaccessibilem (Deus) quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest, » ait S. Paulus (1 Timoth., 6). Deus enim est ens supernaturale, et oculus corporeus ordinem suiipsius superiorem respicere nequit; ideo consequitur ad id opus esse supernaturali aliqua virtute, quæ a Theologis appellatur lumen gloriæ, quod est habitus supernaturalis, quo mens creata ultimo disponitur ad eliciendam visionem Dei intuitivam. Quæ definitio probabilior videtur inter innumeras Doctorum.

Unde possibilis deducitur visio Dei supernaturaliter. « Videbimus eum sicuti est » (1 Joan., 3). Et jure; nam datur proportio inchoata nostri intellectus ad Deum intuitive videndum.

5. Nihilominus comprehensiva visio Dei est etiam supernaturaliter impossibilis; Deus enim est infinite cognoscibilis, et humanus intellectus non potest elicere actus infinitos.

6. Sed Sancti fruuntur, nec ne, Dei visione intuitiva ante corporum resurrectionem?

Utique fruuntur. Id eruitur plane ex Luc. (23,

v. 12) a quo narratur Christum in cruce pendentem latroni dixisse : « Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. » Id et definitur a Concil. Florentino (sess. 25, an. 1431).

7. Absque dubio denique evincitur in hac vita abstractiva Dei visio, atque eo magis quo majori quis pollet intelligendi acumine, contra Aerium ejusque discipulum Eunomium, nec non contra Beguinos et Beguardos, qui stultissime asserebant se posse clare et aperte Deum videre, imo ita perfecte comprehendere gloriabantur, ut nec Deus seipsum perfectius comprehendat. Quorum vanissima præsumptio luculenter refellitur ex Scriptura, ex Patribus, ex ratione.

8. Ait principio Apost. Paulus, in 1 Corinth., 13, v. 9 : « Ex parte cognoscimus, et ex parte prophetamus. Cum ergo venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est. » Quod si ex parte cognoscimus, quomodo gloriantur Aerius sociique se comprehendere Deum perfecte, ita ut perfectius nec Deus seipsum comprehendat?

9. Patres hoc Anomæorum delirium confutarunt, inter quos audire fas est Clementem Alexandrinum (libr. 5. Stromatum) : « Perspicuum est, inquit, nullum unquam vitæ suæ tempore posse perspicue Deum comprehendere. »

10. Idem concludit ratio theologica. Nos non possumus pervenire ad Dei visionem, nisi per opera salutaria : atqui hæc fieri nequeunt solis viribus naturalibus, sine Dei auxilio, sine gratia speciali ; ergo Dei visionem in hac vita habere non possumus, nisi abstractivam, et juxta nostri intellectus acumen.

11. Alterum inter recensita superius attributa divina, est Dei scientia. Hæc cum sit naturæ intelligentis perfectio, necessario in Deo esse debet, et est (1 Regum, 2, 3), ait sacer textus : « Deus scientiarum Dominus est. » Sub nomine scientiæ autem hic intelligimus certam, evidentem ac immediatam intellectus cognitionem; et hoc in sensu accepta, reperitur in Deo simplex, juxta illud Sapientiæ, 7, 22: « Est in illa (sapientia) spiritus intelligentiæ sanctus, unicus, multiplex. »

Est immutabilis, uti legitur Jacob, 1, 17 : « Apud quem non est mutatio, nec vicissitudinis obumbratio. »

Est infinita : « Sapientiæ ejus non est numerus, » ut in Psal. 146, 5.

Est denique efficax et causa rerum, secundum Regalem Prophetam (in Psal. 103) : « Omnia in sapientia fecisti. »

12. Hujus scientiæ objectum est vel Deus ipse, vel res extra se.

Deus ipse, quatenus seipsum perfecte cognoscat et comprehendat, aiente Apostolo Paulo (1 Cor., 2) : « Quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi spiritus Dei. »

Extra se, quatenus cognoscat Deus omnia possibilia, omnia præterita, præsentia et futura sive necessaria, sive contingentia et libera, sive futura, contingentia conditionata.

Quæ postremo a nonnullis scholis asseruntur, Deum per scientiam mediam cognoscere. Medium scientiæ Dei est Deus ipse, vel res extra seipsum.

13. Divisio scientiæ Dei, secundum catholicos Theologos, est multiplex.

Juxtra nostrum concipiendi modum, dividitur :

1° In scienciam speculativam et practicam;

2° In necessariam et liberam;

3° In simplicis intelligentiæ et visionis.

Quæ ultima divisio recta videtur, ex eo quod Deus quidquid cognoscit vel existit in aliqua temporis differentia, vel non existit. Atqui primum spectat ad scientiam visionis, alterum vero ad scientiam simplicis intelligentiæ.

14. Tertium Dei attributum est voluntas, quæ Deo essentialiter inest. « Omnia enim (Deus) quæcumque voluit, fecit » (Psal. 113). « Non mea voluntas, sed tua « fiat. » (Luc, 22). Voluntas hæc est facultas appetendi : bonum appetitur mente præcognitum, malum rejicitur.

Objectum voluntatis Dei est formale, seu primarium; nimirum ipsa Dei bonitas, materiale, seu secundarium, id est creaturæ.

15. Voluntatis divisio, secundum nostrum intelligendi modum, est vel signi, vel beneplaciti.

Signi, nempe signum externum divinæ voluntatis, hoc est voluntas impropria.

Beneplaciti, nempe actus ipsemet internus et immensus divinæ voluntatis, hoc est voluntas proprie dicta.

Hæc beneplaciti voluntas distinguitur in antecedentem et consequentem : et prima ea est, quam Deus habet ex se, nulla expectata causa ex parte creaturarum; secunda, quam Deus non habet ex se solo, sed expectata ex parte creaturarum occasione.

Et Deus, supposito etiam peccato originali, hujus-

modi beneplaciti voluntate seria ac antecedente vult omnes homines salvos fieri, et Christus pro omnibus mortuus est. Hinc a veritate aberrant Estius, Sylvius et nonnulli veteres Thomistæ, qui contendunt esse signi dumtaxat. Item et Janseniani, qui contendunt Deum habere voluntatem omnes homines salvandi, antecedentem tamen ad prævisionem originalis noxæ.

Hæc eadem beneplaciti voluntas distinguitur insuper in efficacem et inefficacem, denique in absolutam et conditionatam.

Hinc voluntas Dei est causa imperans, scientia causa dirigens, et omnipotentia causa exsequens.

16. Quartum demum ex enumeratis attributis est Dei Providentia, nimirum ratio ordinis rerum in finem in Deo existens (S. Thomas, 1, p. 9, 2).

Datur, nec ne, hæc Providentia?

Utique, et certissimis variisque argumentis eruitur.

1° Ex metaphysica. Universum a Deo est factum, juxta exemplar universi intelligibilis æterni : ergo ex sapientissima Dei Providentia gubernatur.

2° Ex physica. Omnia quæ creata sive in cœlis, sive in terris habentur, æquabili motu, ordine non interrupto ad unum moventur, et agunt secundum propriam naturam. Atqui hoc concipi non potest, sine continua Dei Providentia.

3° Providentia exigit omnium causarum seriem : series hujusmodi enim a causa æterna, sapientissima et necessaria profluit.

4° Hoc et tota Gentilium Theologia, Poetica, Civilis ac Philosophica requirit.

Homerus reapse Jovem perficere et omnia canit.

Nulla datur natio, quæ Dei Providentiam non agnoverit, quia nulla datur natio sine religione (ut superius demonstravimus).

Philosophi id tenuere, teste Pythagora, qui per omnia vim divinam communicare omniaque regere docebat.

17. Sed quid ad rationes ad populos Gentiles mentem vertere studemus? Melius est audire divina eloquia, quæ peroptime rem demonstrant. Ait revera Sapientia, 14: « Sua autem, Pater, Providentia ab initio cuncta gubernat. » Et jure; nam Deus est agens sapientissimus, proindeque omnia opera sua secundum ordinem et vitam dirigit. Unde exclamat S. Ambrosius (l. 1 de Offic., c. 12): « Quis operator negligat operis sui curam? » Hinc Clemens Alexandrin. (libr. 6 Stromatum) Atheum vocat, qui Providentiam esse non putat. Datur igitur Providentia, cujus cura est de omnibus sive magnis, sive pusillis.

His compendiose consideratis, veniant nunc Epicurei, Fatalistæ ac Philosophi recentiores non pauci, et suis futilibus systematibus insurgant contra divinam Providentiam, eamque e medio auferre conentur.

Contra hos omnes revera existit Providentia, propter quam omnia secundum ordinem et vivunt et moventur. Existit, dicimus; et si consideretur in mente Dei, est, ut ait Boetius (libr. 4 de Consolatione): « Summa ratio in summo principe constituta, quæ cuncta disponit. » Si vero in executione, tunc est ipsius Dei regimen.

Et sic explicit etiam quarti ex prænotatis attributis brevis pertractatio.

Nunc disserendum de Prædestinatione.

18. Sub nomine Prædestinationis, in Scriptura venit quodcumque Dei decretum. Sed hic pressius sumitur pro æterna hominum destinatione ad vitam beatam.

Hinc a S. August. in libr. 1 de Prædest. Sanct., cap. 10, definitur : « Gratiæ præparatio, » et in libr. de Dono perseverantiæ, cap. 14 : « Præscientia et præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur. » Et a S. Thoma (p. 1, q. 23, art. 2) : « Ratio ordinis aliquorum in salutem æternam, in mente divina existens. »

Prædestinatio igitur est præscientia, secundum Augustinum ; est ratio ordinis, juxta D. Thomam : ergo in prædestinatione concluditur actus intellectus.

Est, juxta S. Aug., præparatio beneficiorum ; juxta S. Thom., ratio ordinis aliquorum in salutem æternam, etc. Ergo in prædestinatione concluditur actus voluntatis. Inde intellectus, inde voluntas Dei.

19. Quæ prædestinatio, si consideretur in se, est una : unum revera est Dei decretum, quod dat gloriam et gratiam. Hinc si decretum hujusmodi hæc duo efficaciter complectitur, prædestinatio est adæquata, ut aiunt scholæ ; quod si unum tantum, scilicet vel solam gratiam, vel solam gloriam, et tunc prædestinatio est inadæquata.

Quæ prædestinatio adæquata insuper dupliciter ponderanda : aut in intentione, aut in executione. Si spectetur in executione, planum est duo requiri : gratiam scilicet ex parte Dei, cooperationem gratiæ ex parte hominis. Quæ gratia nimirum, et gratiæ cooperatio habent vitam æternam veluti terminum.

Si vero spectetur in intentione, tunc exurgit percelebris quæstio etiam inter Catholicos Theologos agitata, utrum prædestinatio ad gloriam sit omnino gratuita et ante prævisa merita. Cui quæstioni respondent contradictorie Doctores, unusquisque pro viribus suam defendens opinionem. Sed nos, potius quam horum hinc inde placita in medium proferre, duo proponimus et resolvimus dubia :

20. 1° An detur vera et adæquata prædestinatio, et hæc ex parte Dei?

2° An homo, sine speciali revelatione, certus esse possit de sua prædestinatione?

21. Loquentes de prima quæstione, illud diligenter animadvertendum, quod Origenes narrat (libr. 3 de Principiis, c. 1) de veteribus quibusdam hæreticis, Basilide nimirum, Valentino et Manichæis, qui non modo prædestinationem non admisere adæquatam, sed nequidem inadæquatam; et commiseentes homines angelosque, illos omnes dixere vel natura sua esse bonos, et ita non possent esse mali, adeoque neque salvandi, vel natura sua esse malos, et ita non possent esse boni, adeoque naturaliter reprobos existere.

22. Contra hos et contra Pelagianos, et Semipelagianos in præsenti eorumque proselytas breviter demonstramus : 1° dari adæquatam prædestinationem, 2° eam ita esse necessariam ad salutem æternam, ut nemo prorsus eam obtineat, qui non fuerit prædestinatus.

23. Ad primum. Ait Apostolus Paulus (Rom., 8, 29 et seqq.) : « Quos præscivit, et prædestinavit..... quos autem prædestinavit, hos et justificavit, quos autem

justificavit, hos et glorificavit. » Ergo ex Apostolo, justificatio et glorificatio ex ea tantum causa veniunt, ex præscientia scilicet ac Dei prædestinatione, secundum illam S. Aug. interpretationem in verbis Apostoli (lib. de Prædestin. Sanct., cap. 17) : « Electi sunt itaque ante mundi constitutionem, inquit, ea prædestinatione, qua Deus sua facta præscivit : electi e mundo ea vocatione, qua Deus id quod prædestinavit, implevit : quos enim prædestinavit, ipsos vocavit, illa scilicet prædestinatione secundum propositum non alios, sed quos prædestinavit, ipsos et vocavit, non alios; sed quos ita vocavit, ipsos et justificavit, nec alios ; sed quos prædestinavit, vocavit, justificavit, ipsos et glorificavit. » Ex quibus apertissimis testimoniis, tum Apostoli Pauli, tum S. Augustini, concluditur existentia veræ et adæquatæ prædestinationis, et ex parte Dei ejusque certitudo, ejusque immutabilitas ; et si nostræ imbecillitati hoc sublime opus impervium videatur, fas est cum S. Aug. exclamare : O altitudo divitiarum! ac inde Dei venerari mysteria.

24. Nec tantum existit prædestinatio; sed est ita ad æternam salutem necessaria, ut nemo prorsus eam obtineat, qui non fuerit prædestinatus. Legitur enim in Apocal., 21, 27 : « Non intrabit in eam (gloriam)..... nisi qui scripti sunt in libro vitæ. » Atqui hi sunt electi, hi sunt prædestinati. Sic in re loquitur S. Fulgentius (de Fide ad Petrum, cap. 36) : « Firmissimum tene et nullatenus dubites, omnes quos vasa misericordiæ gratuita bonitate Deus facit, ante constitutionem mundi in adoptionem filiorum Dei prædestinatos a Deo, neque perire posse aliquem eorum, quos Deus

prædestinavit, nec quemque eorum, quos ad vitam non prædestinavit, ulla posse ratione salvari. »

Et jure ac merito; nam si non daretur specialis prædestinatio, sed tantum Dei generalis voluntas salvandi homines, tunc nullum daretur discrimen inter illos qui salvantur, et illos qui pereunt : differentia ea enim solum est desumenda ab una hominum voluntate ; et tunc ille qui salvus esset, posset gloriari de sua salute, quod est contra effatum Apostoli Pauli (1 Corinth., 4, 7) : « Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? » Ergo luculenter patet existere veram et adæquatam prædestinationem ex parte Dei, et eam esse necessariam ad salutem æternam, ita ut nemo prorsus eam obtineat, qui non fuerit prædestinatus.

Et sic jam satis fecimus ad primam quæstionem.

25. Nunc aggredimur secundam.

An homo, sine speciali revelatione, certus esse potest de sua prædestinatione?

Cui quæstioni sine ulla hæsitatione negativam damus responsionem. Et plane prædestinatio est actus divini intellectus et voluntatis : usque adhuc igitur Dei intellectus et voluntas ab hominibus cognosci non potest; semper pro his mysterium in re verificatur. Atqui intellectus et voluntas Dei, sine speciali revelatione, cognosci non possunt : ergo.

Attamen Protestantes, duce Luthero et Calvino, loquentes de arcano divinæ prædestinationis mysterio, adeo præsumptionem tenuere, ut non dubitaverint statuere posse homines sua vi omnino cognoscere esse in numero prædestinatorum. Sed hæc assertio a Sacris

Litteris damnatur. Legitur reapse apud Apostolum Paulum (Rom., 11, 20) : « In fide autem sta, noli altum sapere, sed time..... Vide bonitatem, et severitatem Dei : in eos quidem qui ceciderunt, severitatem : in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate : alioquin et tu excideris. » Jam vero, ubinam a sacro eloquio tantopere inculcatur metus, si homines certam suæ æternæ vitæ securitatem haberent?

26. Id inculcant et Patres, inter quos audiatur S. Bernardus, in Serm. 1 in Septuagesima : « Quis potest dicere : Ego de electis sum, ego de prædestinatis ad vitam, ego de numero filiorum? Quis hoc, inquam, potest dicere, reclamante nimirum Scriptura : nescit homo, si sit dignus amore an odio? Certitudinem utique non habemus, sed spei fiducia consolatur nos, ne dubitationis hujus anxietate penitus cruciemur. » Hinc Concil. Trid. (sess. 6, can. 16) anathemate ferit eos, qui illam asserunt certitudinem : « Si quis magnum illud usque in finem perseverantiæ donum se certo habiturum, absoluta et infallibili certitudine dixerit, nisi hoc et speciali revelatione didicerit; anathema sit.

Ergo nemo, sine speciali revelatione, certus esse potest de sua prædestinatione.

27. Cujus causa finalis est gloria Dei efficiens, est Dei decretum dandi gratiam et gloriam; meritoria externa sunt merita Christi, meritoria interna, prædestinati ipsius merita supernaturalia.

28. Effectus autem hujus sunt : vocatio, justificatio, perseverantiæ donum, bona etiam naturalia, quatenus a Deo ad salutem efficaciter ordinentur, ita ut salutem æternam homo consequatur.

Ergo qui est in prædestinatione, est electus ad vitam : « Venite, benedicti Patris mei. » Qui non est electus ad vitam, reprobus fit et ad mortem vocatur : « Ite, maledicti, in ignem æternum. »

29. Contradictoria igitur prædestinationis est reprobatio. Illa enim est præparatio gratiæ; hæc autem est præparatio damnationis (Mag. Sent., lib. 1, dist. 11). Illa habet homines vocatos, electos, justificatos, glorificatos; hæc vero tenet homines odio habitos, vasa in contumeliam, vasa iræ, apta in interitum. Illa includit Dei propositum, Dei voluntatem conferendi gratiam et gloriam; hæc includit voluntatem permittendi cadere in culpam et inferendi damnationis pœnam pro culpa (S. Thom., qu. 22, art. 2). In illa, quos Deus prædestinavit ad vitam æternam, misericordiosissimus est gratiæ largitor ; in hac, quos prædestinavit ad æternam mortem, justissimus supplicii retributor est (S. August., lib. 4 de Anima et ejus orig., cap. 11). Illa per effectus habet beatam vitam, gaudiumque perenne; hæc exclusionem a gloria, pœnæque inflictionem æternæ.

30. Ex his usque adhuc relatis differentiis inter prædestinationem et reprobationem, jam patet reprobationem posse dividi in positivam et negativam.

Positiva reprobatio nimirum definitur a Magistro Sententiar. (libr. 1, dist. 11) : « Præscientia iniquitatis quorumdam, et præparatio damnationis eorumdem. »

Negativa autem consistit in sola exclusione a gloria, tamquam a beneficio indebito, ut aliqui Thomistæ censent, vel, ut aliis placet, in sola Dei voluntate permittendi, ut aliqui sua culpa ab æternæ gloriæ acqui-

sitione deficiant; vel denique est efficax Dei decretum non præparandi quibusdam beneficia, quibus certissime liberentur.

31. Quando autem quæritur quænam sit causa reprobationis positivæ, quænam negativæ, præscindentes a scholasticis quæstionibus reponimus, causa reprobationis positivæ est peccatum, juxta illud Oseæ (c. 13, v. 9) : « Perditio tua, Israel (ex te) : tantummodo in me auxilium tuum; » et Jac., 1 : « Nemo cum tentatur dicat quoniam a Deo tentatur. » Hinc jure ac merito Concil. Orausicanum, can. 25, et Concil. Tridentinum, sess. 6, can. 6 et 17, anathemate percusserunt Zuinglium et Calvinum, qui blasphemantes, asserere non erubuerunt causam positivæ reprobationis esse Dei voluntatem.

32. Causa vero reprobationis negativæ est peccatum originale, ait revera S. Thom. (9, 3, de Veritate, art. 2, ad. 9) : « In ipsa electione, ratio est divina bonitas; ratio autem reprobationis, peccatum originale, ut Augustinus dicit. »

Et sic explicit etiam præsens disceptatio; ex eo quod, quamvis breviter, nihilominus locuti sumus de omnibus illis divinis attributis, quæ relativa solent dici ad res creatas, et de quibus tantum nobis sermonem habere ab initio proposuimus.

DE SS. TRINITATE.

DE DIVINIS ATTRIBUTIS

AD DIVINAS PERSONAS RELATIVIS.

THESIS 6ª.

1. In duabus præcedentibus disceptationibus de prima et secunda classe divinorum attributorum sermonem egimus, et recensuimus illa, quæ absoluta vocari solent, et ea, quæ ad res creatas relationem habent. Ordo nunc et ratio postulat ut de tertia disseramus, de attributis nimirum quæ relativa sunt ad divinas personas, et quatuor numerantur : Paternitas, Filiatio, Spiratio activa, et Spiratio passiva.

2. Neminem præterit hæc omnia relationem inter se habere : atqui relatio sine terminis concipi nequit; et terminus in re est sanctissima Trinitas.

Hinc primum disserendum est de hoc augustissimo Mysterio, inde de Relationibus.

Proindeque has proponimus quæstiones ex ordine resolvendas :

1° Quomodo definiatur mysterium sanctissimæ Trinitatis?

2° An sint in una divina essentia tres personæ realiter distinctæ?

3° Demum an dentur in divinis personis relationes reales?

Et quoniam S. Augustinus, in libr. 1 de Trinitate, cap. 3, nos monet « nec periculosius alicubi erratur, nec laboriosius aliquid quæritur, nec fructuosius aliquid invenitur, » nos qua majore possumus perspicuitate, de hoc nostræ religionis arcano pertractabimus; solum tamen rectam et incontroversam optimam auctorum doctrinam in medium proferemus.

Sit igitur initium ab explicatione vocabulorum, quibus in disceptatione uti necessarium est.

3. Primum inter ea est Essentia, nempe id quod primo concipi in ente debet, quod radix est omnium proprietatum, vel id quo res quælibet in suo esse constituitur, prima realitas in ente concepta, radix et fundamentum aliarum realitatum, ab his omnibus distincta.

2° Existentia, id est actualitas illa, qua res extra suas causas constituitur, seu qua in rerum natura fit præsens.

3° Natura, id est principium operationis rei intimæ inhærens, et quatenus Deo accommodatur, est principium actionis divinæ, ab ipsa tamen actione interiori minime sejunctum.

4° Substantia, considerata pro eo quod in ea sit ac nullo subjecto inhæsionis indigeat definitur, id quod nullo alio indiget, cui inhæreat ad existendum.

5° Subsistentia, nempe ultimum substantiæ complementum, eam reddens sui juris, sive incommunicabilem alteri tamquam supposito, sive personæ.

6° Persona, juxta Boetium, est rationalis naturæ individua substantia, vel substantia singularis, intelligens tota in se, et incommunicabilis alteri.

7° Principium, scilicet id quod rationem continet, cur illud sit cujus dicitur principium, quod principiatum vocatur.

4. His positis definitionibus, nunc ad primam quæstionem ita præcise reponimus, nimirum mysterium sanctissimæ Trinitatis esse unum Deum in tribus personis subsistentem.

Unum dicimus, ad indicandam unitatem numericam et singularem, non vero specificam.

In tribus personis, contra illos hæreticos, duce Noeto et Sabellio, qui edocuerunt tria nomina divinarum personarum esse unius et ejusdem personæ.

Subsistens, contra hæreticos, qui aiebant divinas personas habere naturas partiales.

Et sic de prima propositione. Venientes ad secundam, operæ prætium erit nos historiam aliquam in re præmittere, et errores breviter recensere, ut inde facilius veritas doctrinæ præ oculis effulgeat.

5. Primis itaque Ecclesiæ Christi temporibus, ævo ipso Apostolorum, hostes Trinitatis non defuere. Præter enim Judæos omnes (qui semper huic adversati sunt dogmati) Cerinthus unum Deum statuit, docens Christum esse purum hominem : idem Cerinthus et Ebion Christum a Jesu distinctum professi sunt.

Tertio sæculo, Paulus Samosatenus, Episcopus

Antiochenus, Trinitatem negavit, aiens solum Patrem esse Deum (Byzant., de Sectis), Christum esse purum hominem, et Spiritum S. Gratiam, quæ super Apostolos venerat.

Eodem sæculo, Sabellius, quem consectatus est Episcopus Marcellus Ancyranus, unam hypostasim esse dixit Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, et unam personam. (Athanas., in libr. de salut. Adventu Christi. Sozomen., in Hist. Eccles., lib. 2, cap. 23.)

Hinc Photinus venit, inficiens Trinitatem suo systemate Dei singuli, et solitarii.

Attamen hi errores neque vitam in viribus habuere, neque rumores excitarunt eo modo quo fuit somnium Arii. Hic ex Lybia oriundus, Præsbyter Alexandrinus, anno Christi 317, unum Deum æternum prædicare cœpit, Verbum vero non æternum, sed primogenitam et perfectissimam creaturarum Dei Patris posuit. Hic error grassabatur in Orientem; ita ut Patres Nicænii, num. 318, an. 325, auctorem in publicis comitiis damnaverint; variis deinde vicibus caput extulit, interdum dejecit, donec argumentis ab optimis doctissimisque Theologis in medium prolatis, fere devictus esset. Postea Michael Servetus, Hispanus, Cœlius, Socinus, eorumque sectatores e pulvere errorem illum excitarunt, dum ex altera parte a Græcis Schismaticis processio Spiritus S. a Patre et Filio, veluti ab unico principio, rejicitur.

6. Ex quibus compendiose delibatis, facile videtur ad tres classes posse nos revocare errores: ad primam scilicet illos, qui nullam agnoscunt in personis divinis distinctionem; ad secundum illos, qui inficiati sunt

consubstantialitatem, et qualitatem trium personarum; ad tertiam denique illos qui negarunt processionem Spiritus Sancti a Patre et Filio, veluti ab unico principio.

Contra hos omnes, sive directe, sive indirecte veram probaverimus doctrinam, propositas pertractantes quæstiones.

7. Hinc, absque ulla hæsitatione, asserimus *in una divina essentia tres esse personas realiter distinctas*.

Hæc propositio ad fidem spectat, est a Deo revera in Sacris Litteris immediate revelata, est ab Ecclesia expresse proposita, et in traditione peroptime fundatur, et recta ratio illam luculenter suadet.

8. Ad Scripturam in primis venientes, dicimus quoque ex Veteri Testamento colligi hoc Trinitatis dogma. Legitur enim, in cap. 1 Genes : « In principio fecit Deus cœlum et terram, et Spiritus Domini ferebatur super aquas. » In principio, id est in Verbo, Deus, id est Pater, Spiritus, id est Spiritus Sanctus. Ergo tres distinctæ personæ. Atqui Deus fecit, in Verbo fecit, Spiritus Domini fecit; ergo Patri, et Filio, et Spiritui Sancto una tribuitur efficientia, una tribuitur actio. Atqui ubi tribuitur una eademque efficientia, una eademque actio, una tribui debet natura-una essentia.

Ergo tres illæ distinctæ personæ sunt in una divina essentia.

Quod clarius eruitur ex Psalm. 32, 5 et 6 : « Misericordia Domini plena est terra; Verbo Domini cœli firmati sunt, et Spiritus oris ejus omnis virtus eorum. »

9. Sed clarissime res evincitur ex N. Testamento. Legitur revera apud Matth. : « Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. » Est igitur Pater, Filius, Spiritus. Ergo tres personæ : datur particula et, quæ distinguit realiter unum ab altero. Ergo tres realiter distinctæ personæ.

Datur his tribus dictinctis personis in vocabulo, in nomine eadem efficientia, eadem virtus, eadem auctoritas : ergo danda est eadem natura, eadem essentia; ergo in una divina essentia tres sunt personæ realiter distinctæ.

Apud Joan., 16, 27-28, dicitur Filium a Deo Patre exire; apud ipsum Joannem, 15, 26, asseritur Spiritum veritatis a Deo procedere. Tres igitur sunt personæ : Pater, Filius, Spiritus Sanctus. Pater est ille, a quo Filius exit, Spiritus Sanctus procedit : ergo Pater est realiter distinctus a Filio, qui exit ab eo, a Spiritu S., qui procedit ab eo; Filius est realiter distinctus a Patre, quia ille est qui exit, hic a quo exit; Filius est distinctus a Spiritu S., quia ille exit a Patre, hic a Patre procedit; Spiritus Sanctus est distinctus a Patre et Filio, quia ab utroque procedit. Ergo tres personæ realiter distinctæ.

Est una eademque essentia earum trium distinctarum personarum. Filius exit a Patre, Spiritus Sanctus procedit a Patre : ergo Filius et Spiritus Sanctus sunt ejusdem naturæ Patris, ejusdem essentiæ; ergo in una divina essentia tres sunt personæ realiter distinctæ.

10. Nunc ad illud percelebre in re testimonium, in

Epist. 1 Joan., 5, 7 : « Tres sunt qui testimonium dant in cœlo : Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus : et hi tres unum sunt. » Quo et numerus personarum, et realis distinctio, et unitas essentiæ prædicantur, ita ut textus hic decretorius videatur ad convincendos veteres et novos hæreticos; et quia ita est, Sociniani pro virili parte conantur illum spurium declarare.

Sed frustra; nam ille versiculus ab antiquitate genuinus semper habitus fuit, nemine prorsus reclamante in Ecclesiis Romana, Africana, Hispana, et Orientali. De Ecclesia R. enim testificatur M. Aurelius Cassiodor., in suis Complexionibus, ad cap. 5 Epist. 1 S. Joan.

De Ecclesia Africana S. Cyprianus, Episc. Carthaginensis (de Unitate Ecclesiæ, cap. 4).

De Gallia S. Eucherius, Lugdunensis Episcopus (sæculo v), in libr. Formularum spiritualium, c. 11.

De Ecclesia Hispaniæ Etherius, Uxamensis Episcopus, in libr. adversus Elipandum, Toletanum Antistitem.

Quoad Ecclesiam Orientalem, hic versiculus reperitur, in liturgicis Græcorum libris, in Græcis codicibus.

Denique concluditur veritas hujus versiculi ex auctoritate Concilii Trid., quod in sess. 4 decrevit, omnes utriusque Testamenti libros, cum omnibus suis partibus, sacros et canonicos.

Ergo, cum adversarii hoc novum figmentum non sustineant, debent ex seipsis confiteri in una divina essentia esse tres personas realiter distinctas.

Et hoc ex Scripturis; quamvis in ipsis non inveniantur voces Trinitatis et Consubstantialitatis, tamen occurrit aperte veritas his vocibus significata. Et adversarii textus, qui ad rem in Sacris Litteris inveniuntur, non pro lubito explicare debent, sed secundum ordinem et veram doctrinam. Si Christus, quandoque solum ad Patrem referri videtur, refert simul ut non excludat pluralitatem personarum in Deo, sed deorum falsorum idolorumque turbam.

11. Nec tantum sacra eloquia augustum Trinitatis dogma peroptime probant, sed insimul non interrupta traditio.

Apostolos ipsos hanc tenuisse doctrinam non modo patet ex N. Testamento, ab ipsis, Deo inspirante, exarato, sed etiam ex praxi continua in Ecclesia adhibita, tum in conferendo baptismo sub invocatione trium personarum realiter distinctarum, sub uno et communi nomine, tum ex trina immersione in eodem habita Sacramento, ad evincendam in una essentia distinctionem trium personarum divinarum, tum denique ex doxologia in Ecclesia recepta ab ætate Apostolorum.

12. Quod Apostoli autem ab initio Ecclesiæ Christianæ docuere sive doctrina, sive ex praxi, Patres omnes, Doctoresque de die in diem, de sæculo in sæculum contra hæreticos omnes Sabellianos, Ebionites, Cerinthianos, Arianos aliosque illud semper firmum indubitatumque habuerunt, opposueruntque unanimiter ad eorum errores refellendos.

S. Clemens revera, Lini in Pontificatu successor, relatus a S. Basilio, in libr. de Spiritu S., c. 29, tale

exhibet testimonium de sanctissima Trinitate, ut aliud clarius non possit desiderari. Sed et antiquior Clemens : « Vivit, inquit, Deus, ut Dominus noster Jesus Christus, et Spiritus. » Et quomodo hæ tres distinctæ personæ? In unione potentiæ, ait Athenagoras, in sua legatione oblata pro Christianis Imperatoribus, M. Aurelio, Antonino et Commodo.

Secundo sæculo S. Irenæus, Episcopus Lugdumensis, lib. 4, contra Hæreses, cap. 11 : « Et propter hoc in omnibus, aiebat, et per omnia unus Deus Pater, et unum Verbum, et unus Filius, et unus Spiritus, et una Fides, et salus omnibus credentibus in eum. »

Tertio sæculo S. Cyprianus, in libr. de Unitate Ecclesiæ, ait : « De Patre, de Filio, et de Spiritu Sancto scriptum est : « Et hi tres unum sunt. » Tres scilicet in distinctione reali personarum, unum in essentia. »

Sed ne nimius sim in citandis Patribus Ecclesiæ veteribus, unum sat est audire, S. August., in libr. 1, de Trinitate, qui omnes aliorum auctoritates complexus est : « Omnes quos legere potui, inquit August., qui ante me scripserunt de Trinitate, quæ Deus est, divinorum Librorum veterum ac novorum catholici tractatores hoc intenderunt secundum Scripturas docere, quod Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus unius ejusdemque substantiæ, inseparabili æqualitate divinam insinuant unitatem : ideoque non sunt tres Dii, sed unus Deus. »

Quod testimonium utique neque applicatione, neque interpretatione indiget.

Ergo ex Traditione, in una essentia tres esse distinctas realiter personas, luculenter patet.

13. Ast, dices: primordiis Ecclesiæ non modo ignota fuit hæc formula Trinitatis, sed etiam fuit ignotum dogma per eam significatum; hinc veteres Patres de hac doctrina saltem confuse locuti sunt.

His futilibus oppositionibus, aliisque in re prolatis breviter reponimus, proferentes in medium nonnulla generalia criteria. Et in primis animadvertimus verba, quibus nunc Theologi utantur in re, fuisse illo tempore ignota; attamen negamus ignotum fuisse dogma per ea significatum; et nostra assertio patet ex citationibus veterum textuum jam supra prolatis.

Quod si vero primis tribus Ecclesiæ sæculis non admodum luculenter et perspicue quidam scriptores ecclesiastici locuti sunt, id ex duabus venit causis:

1° Quod ea de re hæretici levissimos agitarunt rumores, non tales, qui adigere potuerint Patres ad prolixiùs et clarius disputandum; 2° quod sedulo cavebant, ne tantum Religionis Christianæ mysterium in profanas Gentilismi aures abiret. Et ex quibus jam habes, contra Sabellianos, aliosque sectatores, sufficientia criteria ad futiles resolvendas oppositiones.

14. Et ex quibus jam consideratis argumentis, sive ex Scriptura, sive ex Traditione, hujusmodi dogma definivit Concil. Lateranense IV, in cap. Firmiter; illud, et Symbolum Athanasii, in illis verbis: « Fides autem Catholica hæc est, ut unum Deum in Trinitate, et Trinitatem in unitate veneremur: neque confundentes personas, neque substantiam separantes. » Et Ecclesia Catholica, in Præfatione sanctissimæ Trinitatis, solemniter canit: « Ut in personis proprietas, in essentia unitas, et in majestate adoretur æqualitas. »

15. Et jure ac merito; idem enim recta ratio suadet adversus veteres, novosque hæreticos, qui contendunt hoc sublime mysterium Trinitatis rectæ rationi pugnare. Et sane scimus, ex una parte, hoc mirificum nostræ Religionis arcanum esse in Scripturis revelatum; scimus, ex altera parte, revelationem esse verbum Dei. Ergo vel hoc dogma non repugnat rectæ rationi, quia veritas veritati non opponitur, vel dicendum est Deum falli ac fallere. Posterius asserere est iniquum; ergo remanet prius. Et si illud concipere non possumus, potius quam mysterium negare, colimus humiliter Deum, et nostram fatemur ignorantiam, intellectumque limitibus circumscriptum submisse consideramus.

Ergo in una divina essentia, tres sunt personæ realiter distinctæ.

16. Sed hæ tres distinctæ personæ habent, nec ne, relationes inter se?

Utique habent.

Et re quidem vera, relatio idem est ac ordo, seu habitudo unius ad alterum; ergo duo sunt termini, quos res ipsa requirit, nempe unus, qui refertur, alter ad quem refertur. Unde si relatio hujusmodi est mutua, tunc dicitur perfecta, sin minus imperfecta.

Demum relatio esse potest aut inter substantias, aut inter modos unius ejusdemque substantiæ.

Jam vero quatuor sunt in divinis personis hujusmodi relationes, quibus illæ se mutuo respiciunt: 1° Paternitas, qua prima persona refertur ad secundam, quam genuit; 2° Filiatio, qua secunda vicissim

refertur ad primam, a qua genita est; 3° Spiratio activa, qua Pater et Filius ordinem habent ad Spiritum Sanctum, quem mutuo amore producunt; 4° denique Spiratio passiva, qua Spiritus Sanctus a Patre, et Filio procedit.

17. Hæ relationes in divinis inveniuntur personis realiter, nec in dubium revocari potest. Ait enim S. Thomas, 1 p., q. 28, art. 1 : « Pater non dicitur, nisi a Paternitate, et Filius a Filiatione : si igitur Paternitas et Filiatio non sint in Deo realiter, sequitur quod Deus non sit realiter Pater, aut Filius, sed secundum rationem intelligentiæ tantum : quod est hæresis Sabelliana. »

Et optime S. Thomas; nam Paternitas et Filiatio sine ulla nostræ mentis cogitatione sunt in Deo : ergo in ipso existunt; ergo realiter distinguuntur, quia ad invicem opponuntur : illa contra quæ ad invicem non opponuntur, solum virtualiter distinguuntur.

Ergo Spiratio activa, quia opponitur Spirationi passivæ, realiter distinguitur.

Ergo Paternitas, Filiatio, Spiratio activa, Spiratio passiva realiter distinguuntur, quia opponuntur ad invicem. Pater reapse non est Filius, et e converso, productio Patris et Filii non est certe producta Processione Spiritus Sancti.

Ergo hujusmodi relationes sunt relationes personales, id est constitutivæ trium personarum; nam principium quod est distinctivum est etiam constitutivum.

18. Hinc solo Patri convenit Paternitas, qui proprie generat Filium ; est ingenitus, quia non nascitur.

19. Hinc solo Filio convenit Filiatio, quia solus Filius venit per veram generationem; solus Filius dicitur Verbum, Sermo, Sapientia, quia, fatente Tertulliano, est terminus intellectionis paternæ.

20. Hinc solo Spiritui Sancto convenit Spiratio passiva, seu Processio, quia ipse solus procedit a Patre et Filio; Spiritus Sanctus dicitur Amor, quia Amore purissimo et immutabili procedit a Patre et Filio.

21. Atqui Joannes de Monte Nigro, Dominicano, in Conc. Florentino, sess. 18, approbante illorum Patrum cœtu universo, aiebat : « Secundum Doctores tam Græcos, quam Latinos, sola relatio est, quæ multiplicat personas..... nam in divinis sunt unum, ubi no nobviant relationes oppositæ. »

Quod et sapienter dictum fuit a Boetio, in fine libri de Trinitate : « Substantia in divinis continet unitatem, relatio multiplicat Trinitatem. »

Et S. August., in libr. 5, de Trinitate, c. 5, ait : « Quamobrem, quamvis diversum sit Patrem esse et Filium esse, non est tamen diversa substantia, quia hæc non secundum substantiam dicuntur, sed secundum relationem, quod tamen relativum non est accidens, quia non est mutabile. »

Si igitur in divinis, præter relationes omnia sunt unum, substantia continet unitatem ; non est tamen diversa substantia. Inde evidenter descendunt corollaria sequentia :

22. Ergo Verbum est vere et proprie Deus, ac Dei Filius Patrique consubstantiale.

Ita S. Joan. init. Evang. : « In principio erat Ver-

bum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum..... Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil. » Verbum hic non est factum; ergo non est creatum, sed verus Deus, qui fuit semper apud Patrem; ergo æternus ut Pater in principio, scilicet ante tempus; ergo distinctus a Patre : erat apud Deum; ergo Deus ut Pater : Deus erat Verbum; ergo Creator uti Pater : omnia per ipsum facta sunt; est Patri consubstantiale in Filio, per quem fecit et sæcula, cum sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus.

Ergo jure, in Nicæno Symbolo profitemur nos credere in Filium Dei Unigenitum, ex Patre natum ante omnia sæcula, Consubstantialem Patri.

23. Ergo Spiritus Sanctus est Patri et Filio æqualis et consubstantialis. Matth., 28 : « Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. »

Hinc ille dicendus vere ac proprie Deus, æqualis et consubstantialis Patri et Filio, cui tribuuntur eædem divinæ proprietates, operationes, honor, dignitas, virtus, quæ tribuuntur Patri et Filio : atqui, ex recitato textu Matth. et ex aliis multis in Scripturis, hæc omnia Spiritui S. tribuuntur.

Ergo Spiritus Sanctus est æqualis et consubstantialis Patri ac Filio, quamvis ex illis immediate procedat. Ex quo S. Irenæus, lib. 4, advers. Hæres. cap. 20, vocat illum : « Sapientiam Patris, Creatorem, et cum Patre et Filio solum verum Deum, Spiritum Dei, Spiritum Patris. » Proindeque Nicæna Synodus peroptime definivit, credendum et in Spiritum Sanctum Dominum, et vivificantem, ex Patre procedentem, et cum Patre et Filio adorandum et glorificandum.

24. Et sic satis diximus, quamvis compendiose, de præcipuis quæstionibus, quæ solent disputari a Theologis circa augustissimum sanctissimæ Trinitatis mysterium ; ac insuper cognito quod in una divina essentia tres essent personæ realiter distinctæ, breviter ostendimus relationes inter illas : ideoque satisfecimus tertiæ divinorum attributorum classi, quæ relativa dicuntur ad divinas personas, juxta id, quod jam demonstrare proposuimus.

DE DEO CREATORE.



DE MUNDI CREATIONE

EX NIHILO.



THESIS 7ª.



1. Si creatura rationalis animum suum ad considerandum Deum Optimum Maximum parumper convertat, illum clare videbit necessarium, infinitum, immensum, in se bonum, ac misericordiæ divitem relate ad res creatas.

Illa nimirum bonitas, illaque misericordia omnibus illis modis ad Sui gloriam significandam manifestatur, quibus res in sua natura considerari potest.

Jam vero res in sua natura vel est materialis, seu corporea, vel spiritualis, vel insimul spiritualis et corporea.

Tribus in modis proinde Gloria Dei ejusque bonitas in suis actionibus ad extra aperitur. Consectantes nos

igitur humiliter et semper Providentiæ ordinem, in nostris quoque disceptationibus prosequi illum pro viribus conamur; ideoque 1° sermonem habebimus de rebus corporeis, et contra hæreticos vindicabimus mundi creationem ex nihilo; 2° de rebus spiritualibus loquemur, et Angelorum existentiam, eorumque naturam etiam in officiis adversus Rationalistas propugnabimus; 3° verbum faciemus de rebus insimul spiritualibus et corporeis, et considerato homine in suis statibus, 1° disseremus utrum ipse fuerit in Justitia originali conditus, et si illa fuerit creaturæ rationali debita; 2° considerantes illum etiam in vita futura, postquam breviter aliquid de Beatitudine, ac de Purgatione locuti erimus adversus Incredulos ac Materialistas, loquemur prolixius de æternitate pœnarum : et sic de Deo Creatore præcipua pertingemus.

2. Sit igitur prima disputatio de Rebus corporeis, id est de mundi creatione ex nihilo.

Creatio, uti omnes tenent Philosophi, idem est ac productio : sed hoc latius. Strictius autem creatio idem est ac productio totius entis ex nihilo. Hinc S. Thomas, perspiciens discrimen, quod viget inter creationem et simplicem productionem, hæc verba tenet, in libr. de Causis, lec. 18 : « Est quidem duplex modus causandi : unus quidem quo aliquid fit præsupposito altero; et hoc modo dicitur fieri aliquid per informationem, quia illud, quod posterius advenit, se habet ad illud, quod præsupponebatur per modum formæ. Alio modo causatur aliquid nullo præsupposito; et hoc modo dicitur aliquid fieri per creationem. »

Nos autem intelligimus in re loqui de hoc secundo modo, scilicet de vera creatione : et præcise addimus ex nihilo, ad indicandum statum possibilitatis mere internæ logicæ, ut aiunt, id est non existentiæ; adeoque cum dicimus mundum esse creatum ex nihilo, statuimus mundum eductum ex nihilo sui et subjecti, nempe ut nullum antea exstet subjectum, ex quo veluti deducatur.

3. Hoc est verum, hoc constituit articulum fundamentalem nostræ Religionis; ideoque mirum non est, si a pluribus variisque adversariorum generibus oppugnatum sit.

4. Veteres revera Philosophi ex illo pervulgato principio : ex nihilo nihil fit, vel mundum uti nunc est, æternum dixere, vel materiam præexistentem improductam nuncuparunt. Sic in re loquitur Censorinus, de Natali, c. 4. Prior illa sententia (id est de mundi æternitate, de ejusque æterna materia) qua semper humanum genus fuisse creditur, auctores habet Pythagoram Samium, et Ocellum Lucanum, et Archytam Tarentinum omnesque adeo Pythagoricos. Sed et Plato Atheniensis, et Xenocrates, et alii itemque antiquæ Academiæ Philosophi non aliud videntur opinati; Aristoteles quoque Stagyrites, et Theophrastus multique præterea non ignobiles Peripatetici idem scripserunt; sed hi omnes erant in tenebris, in ignorantia versabantur.

5. Magis, magisque mirum est alios data revelatione, fuisse homines, qui eumdem tenuerint errorem, duce Beausobrio; fuisse non paucos inter ipsos Christianos, qui ita delirarunt, ut materiam crediderint æternam et increatam.

Secundo sæculo nimirum Marcion, teste Theodoreto, libr. 1, Hæret. Fabularum, c. 14, id tenuit; idem tenuere et Manichæi, et Dualistæ; idem et Gnostici, Cerdoniani, Priscillianistæ; idem denique Sociniani, et Increduli omnes infelicis nostræ statis, qui dum ex una parte effingunt Deum admittere veluti omnium rerum principium et causam, ex altera vero, vel asserunt mundum esse æternum, vel cum Atheis materiam jactant improductam.

6. Contra hos omnes igitur facile erit, Deo opitulante, probare mundum fuisse ex nihilo per creationem eductum, proindeque materiam non esse æternam, neque improductam. Unde sit

PROPOSITIO :

DEUS EX NIHILO, IN TEMPORE ET CUM TEMPORE, CONDIDIT MUNDUM.

7. Propositio hæc ad fidem spectat; constat enim ex divina revelatione immediate, expresse proponitur ab Ecclesia, confirmatur a traditione, a ratione suadetur.

Breviter de his omnibus, et in primis de ratione.

8. Ex ratione ostenditur mundum fuisse ex nihilo a Deo eductum; proindeque non æternum, non improducta ejus materia. Et sane mundus est æternus; ergo est improductus, est necessarius, est immutabilis.

Si improductus, jam habet existentiam a se, et perfectionem in genere suo.

Si necessarius, ergo non potest non existere.

Si immutabilis, ergo vi naturæ suæ mutari non potest.

Atqui mundus non est improductus. Quis enim asserere possit mundum universum perfectum ita esse, ut nulla fieri possit perfectionis accessio? cum multas videamus in omnibus esse imperfectiones: ergo mundus non est improductus.

Atqui mundus non est necessarius. Quis revera asserere etiam parumper possit sibi implicare repugnantiam, si nos cogitemus hæc omnia, quæ nos circumstant, aut non fuisse olim, aut in nihilum iterum redigi? Nulla exstat repugnantia: ergo mundus non est necessarius.

Atqui mundus non est immutabilis. Quis porro asserere audeat mundum hunc continuis obnoxium non esse mutationibus? Varia sunt in mundo rerum genera, et omnia mutantur in horas, sive consideres animantium ordinem, sive respicias vegetalium seriem, sive animadvertas mineralium entia: ergo mundus non est immutabilis.

Mundus igitur non est Improductus, non est Necessarius, non est Immutabilis: ergo non est Æternus.

Quod si mundus non est æternus, suam existentiam non repetit a se, sed a causa extra se. Atqui causa hujusmodi non potest esse nisi infinita, nisi omnipotens. Infinitatis porro atque omnipotentiæ vis requiritur, ut res a non existentia ad existentiam veniat. Atqui solus Deus Optimus Maximus est infinitus, est omnipotens; ergo mundus est conditus a Deo in tempore et cum tempore.

9. Quod ex argumentis physicis idem deducitur.

Et 1° ex motionibus astrorum; 2° ex dispositione partium, quæ in mundo inveniuntur, quia non est necessarium ut sit una vel altera; 3° denique ex continuis artium evolutionibus, quæ concipi nequeunt cum æternitate et perfectione.

10. Idem demum ex consensione universali concluditur. Omnium nimirum gentium consensus, ex remotissimis temporibus repetitus, adstruit aperte mundi principium. Omnes enim sive Chaldæi, sive Ægyptii, sive Græci aliique populi suam jactant antiquissimam originem, primos tamen sui enumerant conditores: ergo mundus a Deo, in tempore et cum tempore, creatus est.

Ergo somnium est asserere materiam hujus adspectabilis machinæ æternam, somnium est illam dicere improductam. Et sane si materiæ æternitatis perfectio detur, ei insimul danda est aliqua forma. Atqui ens æternum est immutabile; ergo materia est immutabilis, eo modo quo immutabilis esset ejus forma. Atqui absurdum est dicere ex materia immutabili per mutationem mundum effici potuisse: ergo materia non est æterna. Nihil ergo præter Deum Optimum Maximum a se ipso existit, sed omnia ab ipso Deo producta sunt utique ex nihilo.

11. Sed, objicies cum Atheis, modus creationis materiæ ab homine comprehendi non potest; ergo est æterna. Sed hoc quid probat, nisi mentis humanæ infirmitatem? Concludit forsitan illud non existere, quod nos non intelligimus? Minime. Satis est ut nos cognoscamus rei possibilitatem, eodem tempore quo scimus Divini Creatoris omnipotentiam; nam neces-

sarium est, cum Apostolo Paulo, fateri creationem ex nihilo mysterium esse, quod credere, non investigare oporteat: « Per fidem, inquit, intelligimus compactum fuisse mundum verbo Dei, ut quæ videmus non sint ex apparentibus facta. » Et ad Hebr., c. 11, v. 3: « Fide intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent. » Quæ verba tamen invisibilibus, apparentibus non sunt interpretanda quasi Chaos sit supponendus, ex quo sint omnia discreta ex divino consilio, sed ut respiciant descriptionem telluris, initio Genes. positam.

12. As, instas, ex nihilo nihil fit.

Cui oppositioni facile satis faciemus, si nonnullas circa rem observationes adnotaverimus. In primis indubitatum est non posse quidem ullam creationis ex nihilo ideam sensibilem efformari, qualem in generationibus habemus; clare tamen concipi potest primam rerum productionem factam esse ex nihilo, scilicet eductam a non existentia ad existentiam. Hinc illud effatum: ex nihilo nihil fit, est verum, vel falsum, juxta illius intellectus methodum veram, vel falsam.

Proinde verum est illud principium, si intelligatur nihil fieri ex nihilo tamquam ex principio, vel subjecto; falsum est autem, si ea ratione intelligatur, qua Deus omnipotens effecit ut ea, quæ ante non erant, inciperent esse. Ac satis de ratione.

13. Et nostram thesim validius probamus, si argumentis philosophicis et philologicis addimus theologica, divinæ revelationis sacra eloquia invocantes.

Ad rem igitur primum illud Genes. cap. 1, proferendum est: « In principio creavit Deus cœlum et

terram. » Quod est ad nostram doctrinam confirmandam apertissimum, ac vere illam confirmat.

Et sane genuinus sensus alicujus textus ex triplici consideratione luculenter evinci potest :

1° Ex vi vocis ; 2° ex sensu traditionali ; 3° ex collatione facta inter alios textus in eodem sensu.

Atqui noster textus his tribus adamussim satisfacit.

Et re quidem vera vocabulum creare, ut jam principio monuimus, idem est ac aliquid ex nihilo extrahere. Unde Chrysostomus (in cap. 5, Epist. 2 ad Corinth., ad vers. 17) : « Creatio, inquit, in Scriptura dicitur e nihilo in aliquid productio. » Et S. Hieronymus, in Epist. 140 ad Cyprianum, n. 6, ait : « Creatio est ejus, qui prius non erat, conditionis exordium. »

Atqui vocabulum creare idem est ac Bara ; quod si adhibeatur in prima conjugatione Hal, primitivam significationem retinet creandi, seu educendi, substantiam ex nihilo.

Id reapse, semper tenuit sensus traditionalis ; id tenuere David Himchi, et Moses Nachmanides ; id fassi sunt Obadias, Saphorno et Salomon Dubna, clarissimi Rabbini ; id tenuere Septuaginta Interpretes, qui vocem hebraïcam Bara verterunt fecit ; id confirmavit S. Gregorius Nyssenus, in Orat. 4, qui contra Eunomium illud vocabulum vertit creare.

Collatio denique, Scripturæ aliorum textuum nullum ingerit dubium, quinimo decisorie nostram confirmat interpretationem. Legitur sane in Psal. 148, v. 5 : « Ipse dixit, et facta sunt : ipse mandavit, et creata sunt. » Legitur Sapientiæ, 1, 14 : « Creavit

Deus, ut essent omnia. » Legitur Psal. 101 : « Initio tu, Domine, terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt cœli. »

Jam vero Deus dixit, et creata sunt; ergo antea non erant; Deus fundavit terram, et cœli sunt opera ejus; ergo neque cœli, neque terra existebant.

Christus ait, apud Joan., 17, 3 : « Clarifica me tu, Pater, apud temetipsum, claritate quam habui priusquam mundus esset. » Ergo mundus fuit in tempore et cum tempore.

Atqui si ex voluntate Dei omnia creata sunt, quia non erant; si ex voluntate Dei terra et cœli sunt, quia non existebant; si ex voluntate Dei mundus fuit in tempore et cum tempore conditus, vocabulum creare in his omnibus, et in aliis plurimis Sacrarum Litterarum textibus, accipitur pro vera productione rerum omnium e non existentia ad existentiam, ex creatione ex nihilo, juxta illud peremptorium matris piæ, 2 Machab. 7, 28, ad filium suum natu minimum : « Peto, nate, ut adspicias ad cœlum et terram, et ad omnia quæ in eis sunt; et intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus. »

Jam vero si omnibus his textibus vera et obvia interpretatio detur de creatione ex nihilo, curnam, quibusnam causis illi Genes. textui denegatur ? Nulla assignari potest causa.

Ergo verba Genes : « In principio creavit Deus cœlum et terram, » ita sunt intelligenda, ut scilicet dicerent, uti vere dicunt, in principio temporis Deus ex nihilo res omnes esse jussit, quæ prius non erant.

Ergo conclusio venit, sive tu consideres vim vocis, sives sensus traditionales, sive demum collationem facias aliorum Scripturæ textuum.

Et sic intellectis verbis illis, ubinam æternitas mundi, ubinam æternitas materiæ præjacentis?

Ergo ex divina revelatione apertissime constat, Deum ex nihilo, in tempore et cum tempore, mundum condidisse.

14. Ast, objicies, verba illa Genes., 1 : « In principio creavit Deus cœlum et terram, » cum aliis Sacræ Scripturæ locis, dicunt Deum fecisse ex præjacente materia mundum. Sed ex dictis jam inutilis oppositio evadit; nam ex eo in expositione exclusimus mundi æternitatem, æternitatemque materiæ præjacentis, quod clare probavimus omnia quæ sunt esse a Deo ex nihilo creata. Ergo loca hujusmodi indicant materiam præjacentem, ex qua Deus formavit mundum, juxta Socinianorum interpretationem, concedimus; juxta veram Doctorum Catholicorum interpretationem, negamus.

15. Ita porro intelligendam esse doctrinam de mundi creatione ex nihilo aperte confirmatur ex Patrum traditione, quorum auctoritatem breviter exponimus; et dicimus multa in hanc rem egregie attulisse Tertullianum contra Hermogenem et contra Marcionem, Theophilum Antiochenum, in 2 libro ad Autolycum, Dionysium Alexandrinum, apud Euseb. libr. 8, Præparat. Evangelicæ, cap. 19, et alios; ita ut Bælius, evidentia motus, coactus fuerit confiteri creationem ex nihilo adeo evidenter ostendi, ut sine absurditate negari non possit.

16. Sed ne longior sim in re tam certa et cognita,

proferam tantum præ omnibus Patribus S. Aug., qui, in libr. imperfecto de Genesi ad litteram, c. 1, tom. 3, sic ait : « Deum fecisse, et creasse omnia quæ sunt et quantum sunt catholica disciplina dici jubet; ita ut creatura omnis, sive intellectualis, sive corporalis, vel quod brevius dici potest, secundum verba divinarum Scripturarum, sive invisibilis, sive visibilis, non de Dei natura, sed a Deo sit facta de nihilo. » Quæ verba nulla indigent expositione, quia clara ex se manifestantur.

Ergo ex Patrum traditione constat Deum, in tempore et cum tempore, mundum condidisse.

17. Solent tamen etiam hic oppositiones in medium proferre adversarii, aientes non defuisse veteres Ecclesiæ Patres, qui aut materiam æternam agnoverunt, aut saltem id sine piaculo dici aut putari permiserunt. Sane Athenagoras comparat Deum creatorem figulo, qui ex luto præexistente vasa format; Clemens Alexandrinus, in suis Hypotyposibus, de duobus mundis loquitur, quorum unus sit sempiternus, caducus alter. Justinus putavit Platonem cum Moyse consentire in explicanda rerum Genesi.

18. Sed tempus et opera frustra terunt adversarii, hæc omnia prolixius concinnantes; nam Patres omnes, quos de hujusmodi arguunt erroris, liberi et expertes ab eo omnino evadunt.

Athenagoras sane discrimen affert inter creatum et ingenitum, inter creaturas et Deum, et in eo tantum instituit comparationem figuli, ut quemadmodum quisque artifex præferendus sit suis operibus, ita et Deus anteponendus longe omnibus creaturis.

Relate ad Clementem Alexandr., Eusebius, in Hist. Eccl., libr. 6, cap. 11, satis aperte significat, in Hypotyposeon libro hunc non extitisse errorem; proindeque creditur ejus esse vitiatam in re doctrinam.

Justinus denique, potius quam asserere Platonem cum Moyse consentire in explicanda rerum Genesi, Platonem arguit, quod Deum non creatorem, sed opificem fecit. Ait enim, in Exhort. ad Gent. : « Creator, nulla re alia indigens, sua virtute et potestate, id quod fit, efficit : opifex vero, accepta ex materia condendi facultate, opus suum construit. » Ergo Patres, quoad mundi creationem ex nihilo, in veritate consistunt.

19. Videamus denique hoc in themate consensionem Ecclesiæ.

Et in primis de sensu Synagogæ circa creationem materiæ et mundi, habemus locum apertissimum, jam recitatum in libr. 2 Machab., c. 7, v. 28. Ad Christianos quod attinet, sic liber Pastoris, scriptis Apostolicis suppar, eorum sententiam exprimit : « Deus, inquit, qui in cœlis habitat, et condidit ex nihilo ea quæ sunt..... »

Quod inconcussum dogma in Symbolo Apostolorum aperte continetur illis verbis : « Credo in Deum..... creatorem cœli et terræ... » Quibus Concilium Constantin. I, hæc alia addidit verba : « Visibilium omnium, et invisibilium. »

Quam veritatem confirmavit Innocentius III, ann. 1215, in Concilio Lateranens. IV, dum in cap. Firmiter, definivit : « Deum esse unum universorum principium, creatorem omnium visibilium, et invisibilium, spiritualium, et corporalium, qui, sua omnipotenti

virtute, simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam. » Quæ verba ita sunt ex se aperta, ut evidentiam præ oculis præferant.

Ergo etiam ex expressa Ecclesiæ propositione luculenter evincitur Deum condidisse mundum, in tempore et cum tempore, ex nihilo.

20. Ergo mundus et mundi materia non per essentialem a Deo prodivit emanationem, contra Egyptios quosdam et Chaldæos, Sinenses et Siamenses, contra Persas non paucos, contra Spinozam ejusque sectatores.

21. Ergo mundus non fuit a Deo creatus ab æterno, quia non erat « antequam quidquam faceret a principio » (Proverb., 8, 22); quia « initio Deus terram fundavit » (Psalm. 150, 26).

22. Ast, arguis, ratio faciendi mundum in Deo est æterna, veluti æterna ejus natura atque substantia : ergo ab æterno mundi creatio.

Sed hæc oppositio facile prolabitur ex se ipsa, si parumper consideretur Deum omnimoda gaudere libertate in extrinsecis operationibus.

23. Ergo certissime evadit Cosmogonia Mosaica, ad quam infirmandam neque ex geologicis, neque ex astronomicis observationibus, quidquam eruitur.

24. Ergo posito ac probato hujusmodi systemate, collabi videtur Hylozoismus, Autotheismus, Pantheismus, Manicheismus.

25. Ergo denique ex hactenus fusius consideratis, apertissime constat tum ex Scriptura, cum ex sana et non interrupta traditione, tum demum ex ratione Deum, in tempore et cum tempore, ex nihilo mundum condidisse; proindeque neque mundus æternus est, neque improducta ejus materia. Quod erat demonstrandum.

DE REBUS MERE SPIRITUALIBUS.

DE ANGELORUM EXISTENTIA

EORUMQUE NATURA.

THESIS 8ᵃ.

1. Loquens vir theologus de Deo Creatore certe suo religioso non satisfaceret muneri, si tantum examen ageret de mundo corporeo, nullum verbum tenens de illis intelligentiis, de illis entibus nimirum, quæ vita et ratione prædita, nostris sensibus impervia sunt. Quandoquidem omne quod conditum est a Deo ad ejus gloriam eductum est, secundum illud Psalmistæ : « Cœli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum. » Et intelligentiæ illæ præ omnibus creatis rebus Dei Omnipotentis sapientiam bonitatemque manifestare solent. Hinc S. Augustinus, in libr. 22, de Civit. Dei, cap. 1, ait de illis : « Deus in principio condidit mundum bonis omnibus,

visibilibus atque intelligibilibus rebus, in quo nihil melius instituit, quam spiritus, quibus intelligentiam dedit, et suæ contemplationis habiles capacesque sui præstitit. » Proindeque mirum non est nos etiam, in nostris disceptationibus, de his intelligentiis, de his spiritibus sermonem habere.

2. Intelligentiæ hujusmodi, hujusmodi spiritus appellari solent Angeli. Quod nomen græcum est, ac latine vertitur Nuncius. Hinc S. Doctor August., Serm. 1, in Psalm. 103, n. 15 : « Angelus, ait, officii nomen est, non naturæ. Quæris nomen hujus naturæ, spiritus est; quæris officium, Angelus est. » Et solet definiri : Substantia intelligens, completa, semper mobilis, id est semper actu intelligens, corporis expers, immortalitatem a Deo consecuta.

3. Fatendum est nos pauca de Angelis accepisse a Scriptura et Traditione; proindeque pertractantibus de illis, multa ex conjecturis theologorum nobis haurienda sunt. Nihilominus, pro viribus in medium proferre studemus omnia, quæ de his vel fides, vel ratio nos docet, oppositiones in contrarium deductas breviter resolventes.

4. Quæstiones profecto, quæ a theologis in re principaliter discutiuntur, ad quatuor reduci possunt :

1° An existant Angeli?

2° Quænam sit eorum natura?

3° Quænam illorum vita, quæ officia, quæ societas?

4° Denique quænam commercia cum hominibus habeant?

5. Nos vero pertingentes opiniones omnes vel indirecte, vel per corollaria, has duas in præsenti disceptatione resolvendas proponimus :

1° Utrum Angeli vere existant?

2° Utrum sint meri Spiritus, omnis corporis expertes?

6. Et de prima immediate examen agentes, incidimus, more solito, in adversarios, qui Angelorum existentiam inficiari conati sunt.

Inter hos primi se exhibent Sadducæi, celebris apud Judæos secta, de qua S. Lucas, Act., 23, 8, sic locutus est : « Sadducæi enim dicunt non esse resurrectionem, neque Angelum, neque Spiritum. »

Sed opinio Sadducæorum in pulverem dejecta fuit, donec novi sæculi XVI hæretici illam excutierunt : et hi pertinebant ad Anabaptistarum sectam.

Prætermittimus Materialistas, Hobbesium, v. g. et Spinozam, ex eo quod quum isti negent omnem integramque religionem, facile est concipi qua ratione unum vel alterum ejus inficiantur articulum.

Balthasar Bekkerus, in Mundo fascinato, et Georgius David eo tempore quo visi sunt operationes Angelorum negare, certe eorum existentiam quoque non admiserunt; nequit enim concipi existentia intelligentiæ completæ, sine operatione.

Quid denique dicendum de nostrorum temporum Pseudo-Philosophis?

Illud asserendum, quod de Sadducæis diximus.

Voltarius revera, in Philosophia Historiæ, Angelorum existentiam inter hominum figmenta recenset, a Chaldæis in primis et a Persis profectum, et ad Hebræis adoptatum.

Sed nos contra hos omnes existentiam Angelorum facile demonstramus :

1° Ex consensu universali omnium populorum;

2° Ex S. Scriptura, sive V. T., sive N. T.;

3° Ex Sanctorum Ecclesiæ Patrum traditione.

Ad primum.

7. Theologia Gentilis, Poetica, Civilis, Philosophica et Naturalis docet Angelos existere, id est Spiritus, quos vocant vel Genios, vel Dæmones.

De Dæmonibus verbum habet Hesiodus, antiquissimus Ethnicorum Scriptorum, in 1 libr. Operum et Dierum; et Clemens Alexandrinus citat duos Orphei versus, qui canunt Angelos.

Thales, Philosophus Græcus, Dæmones definivit : « Substantias animatas, seu viventes » (Laertius, in Thalete, et Plutarchus, de Placitis, 1 lib., cap. 8).

Plato passim nominat Dæmones; minores Deos illos vocat in Timæo, natura quidem mortales, immortales vero voluntate Summi Patris.

Ægyptios Dæmones statuisse constat ex Jamblico (de Mysteriis Ægyptiorum); illos statuisse et Chaldæos, demonstrat Stanleius (part. 13 Historiæ Philosoph., sect. 2).

Populos recentius cognitos hac opinione constat esse imbutos; quinimo apud veteres juxta et apud recentes nationes distinctio illa Dæmonum bonorum ac malorum publice locum obtinuit atque hodie obtinet, uti ostendunt Jo. Girardus Vossius (de Idololatria Gentili, lib. 1, cap. 4) et Antonius Vandalius (de Oraculis, disput. 1).

Quoad Theologiam Naturalem denique existentia Dæmonum solide demonstratur ex eorum scilicet operatione; et in re audiendus est Henricus Morus, in 1 p. Enchiridii Metaphysici, c. 2.

Ergo ex consensu universali populorum, sive illos in antiquitate consideres, sive recentius animadvertas, luculenter concludes existentiam Spirituum esse generalem doctrinam, secundum id, quod collexit Tertullianus, in Apologetic., cap. 22 : « Dicimus esse substantias quasdam spirituales, nec nomen novum est. Sciunt Dæmones esse Philosophi..... Dæmones sciunt Poetæ..... Angelos quoque Plato non negavit; utriusque nominis testes, vel Magi (id est Sapientes) adsunt. »

8. Nunc ad S. Scripturam gradum faciamus. Ast etiam hic adversarii difficultates in medium ponunt, ut deinde deducant non posse, saltem ex Vet. Testamento, Angelorum existentiam probari.

Nos vero in primis testimoniis ex eo depromptis propositionem confirmamus, deinde oppositiones paucis resolvemus verbis.

Frequens porro in libris Moysis occurrit Angelorum mentio (Genes., c. 16). Angelus commemoratur, qui Agarem compellat (v. 6). Cumque invenisset eam Angelus Domini juxta fontem aquæ in solitudine, qui est in via Sur, in deserto (v. 9)..... dixitque ei Angelus Domini : « Revertere ad dominam tuam, et humiliare sub manu illius. » Et in cap. 19, duo Angeli veniunt Sodomam, ut Lothum educant, et incolumem servent (v. 1) : « Veneruntque duo Angeli in Sodomam vespere, et sedente Loth in foribus civitatis..... » Sic et in Genes., 22, Angelus Abraham cohibuit, ne filium suum Isaac immolaret. Et ita alibi passim.

9. Nunc veniant in medium Sadducæi, eorumque

proselytes et dicant, in libris Mosaicis ne verbum quidem de Angelis, ac præcipue de creatione illorum; nam in primis, reponit Origenes, Hom. 1 in Genesi, S. August., in lib. 10 de Civit. Dei, cap. 9, Moysem illos indicasse nomine Lucis, et alios Patres nomine Cœli.

Id autem a Moyse non plane significatum est, ne alliceret Judæos (ad Idololatriam pronos) ad existimandos Angelos increatos, proindeque ad illos cultu Latriæ colendos.

Demum, ut optime advertit S. Aug., Angelorum creationem satis patere ex aliis Scripturæ locis, ubi in cantico trium puerorum : « Benedicite, Angeli Domini, Domino, » uti in Psalm. 102, et alibi sexcenties.

10. Quod tamen ex Veteri Testamento clare eruitur, luculenter evincitur ex N. T. Angelus Gabriel revera, ex jussu Æterni Patris, Mariæ nunciavit (Luc., 1). Ex Dei Omnipotentis Sapientia, Angelus allocutus est Josephum, Mariæ virum, ut liberaret divinum Infantem (Matth., 1). Deus ipse denique nos docet per Apostolum Paulum hujusmodi existentiam (ad Coloss., 1, 16) in illis verbis : « In ipso condita sunt universa in cœlis et in terra, visibilia et invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates. »

11. Ast, dices, nomina Angelorum Michael, Gabriel, Raphael sunt sub captivitate Babylonica : ergo et tunc eorum inventa existentia; cum Angelus sit nomen officii, nil vetat quin Scripturarum loca de variis hominum muneribus intelligantur.

Quibus occurram, aiens quod posito etiam, ut no-

mina Michael, Gabriel, Raphael fuissent ignota usque ad illud tempus, et tunc patefacta, scilicet indita illis convenientia rebus, juxta quod scripsit Origenes, in lib. 1 contra Celsum, n. 25 : « De appellatione autem Angelorum Dei, quorum alius Michael, alius Gabriel, alius Raphael nominantur, quisquis in arcana nominum disciplina versatus fuerit, reperiet indita illis fuisse nomina convenientia rebus, quas Dei summa voluntate in universo mundo administrant; » nihilominus hoc nil ad thesim defert; nam quidquid sit de nominibus, indubitatum est Hebræos non ignorasse Angelorum existentiam, quorum et apparitiones, et officia apertissime jam descripserat Moyses.

Quoad vero ad alteram difficultatem, ultro fateor nos perlegere in Scripturis nomen Angelorum hominibus quandoque collatum a Deo; sed ex altera parte, inficiari nequimus nomen hujusmodi in multis adhibitum locis non posse convenire nisi Angelis proprie dictis, uti est in cit. cap. 1 Matth., in cap. 1 Luc., in locis Geneseos relatis : ergo nulla difficultas.

Ergo, ex Sacris Litteris, sive in Veteri, sive in Novo Testamento, evidenter concluditur existentia Angelorum.

12. Patres unanimi voce id tenent; nam non datur fere Scriptor, quem antiquitas referat, in quo non reperiatur Angelorum existentia. Audiatur præ cæteris S. August., Serm. 1, in Psal. 103, n. 15 : « Quamvis, inquit, non videamus apparitionem Angelorum..... tamen esse Angelos novimus ex fide, et multis apparuisse scriptum legimus, et tenemus, nec inde dubitare fas nobis est. » Idem S. Bernardus tenet, in libr. 5, de Considerat., cap. 4.

13. Hinc jure ac merito existentia Angelorum de fide esse definivit Ecclesia, in Concil. Lateranensi IV, sub Innocentio III, an. 1215, in cap. Firmiter : « Deum esse Creatorem omnium visibilium, spiritualium, et corporalium, qui, sua omnipotenti virtute, simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet, et mundanam. »

Ergo tum ex Scriptura, tum ex Traditione universa, Angelos existere constat. »

14. Sed quænam est eorum natura ?

Non loquor hic de opinione Gentilium, qui non solent intelligere Angelos sine corporis involucro. Homerus revera disertis verbis animas humanas, et Deos tenuissimis corporibus involutos facit.

Idem fassi sunt Platonici et Aristotelici, quod clare demonstrant Eugubinus, lib. 8, de perenni Philosophia, cap. 27, et Apuleius, de Deo Socratis.

15. Sed melius institutum nostrum est in themate videre quid senserint Ecclesiæ Patres.

Et asserimus hos posse dividi in quatuor classes :

In 1ª sunt illi, qui vera corpora Angelis dedere ; in 2ª illi, qui Angelis corpora dedere, sed subtilissima et ætherea ; in 3ª illi, qui corpora Angelis dedere, sed non proprie dicta, id est, quod certa regione ac loco definiantur, et circumscriptam habeant substantiam ; in 4ª illi, qui omnino incorporeos Angelos docuerunt.

16. Ad primam classem pertinet Justinus, qui, in Dialogo cum Tryphone : « Adeo corporibus, inquit, Angelos præditos esse, ut in cœlo utantur aliquo cibo, qui in Scriptura vocatur panis Angelorum » (Psal. 77 ;

Gen., 18). Ad eamdem classem pertinent omnes illi Patres, qui tenent in hoc mundo Dæmones stuprum habuisse cum mulieribus, et sunt: Athenagoras, Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Constantius, aliique.

17. Ad secondam classem attinet Methodius, qui Angelis corpus ex aere puro et igne assignare videtur.

Origenes, qui negat posse naturam rationabilem absque corpore vitam degere; Macarius, qui subtilia tribuit corpora. Sic Cyrillus, Ephrem. Eidem sententiæ patrocinari dicuntur Athanasius, et Basilius Magnus, Augustinus dubius hæsisse videtur, imo fortasse in sententiam, quæ Angelis sua corpora tribuit, fuit aliquando propensus.

Ad tertiam classem pertinet Cæsarius, qui ait: « Incorporei Angeli sunt secundum nos, corporei vero secundum sese. » « Sunt corpora cœlestia, et terrestria, » dicit Apostolus.

Ad hanc classem clare attinet Mopsuestenus, ex eo quod velit certo loco esse Angelos; Rupertus ac Bernardus item. De quarta classe inferius dicemus.

18. Nunc vero quum quæstio hujusmodi in varias partes a Theologis, salva fidei compage, agitari soleat, nos ad nostram defendendam sententiam, hanc propositionem statuimus:

Angeli sunt meri Spiritus, omnis corporis expertes.

19. Quæ propositio certa est ex Concil. Lateran. IV, quod, in cap. Firmiter, definivit contra Manichæos: « Unum esse universorum principium, quod..... utramque condidit creaturam spiritualem et corpoream, angelicam videlicet, et mundanam, ac deinde

hominem quasi communem ex corpore et spiritu constitutam. »

Ergo ex Concil. Lateran. IV, Angelorum natura est eadem quam animæ nostræ. Atqui substantia animæ nostræ non potest esse nisi spiritualis omnino, omnisque corporis expers; secus homo non esset substantia media inter angelicam et mundanam : ergo Angeli incorporei.

20. Præter hæc, non desunt gravia argumenta ad nostram confirmandam propositionem, tum in Sacris Litteris, tum in Traditione, neque deest rationis suffragium, item grave.

21. In primis ad Scripturam : legitur sane in Psal. 103, « qui facit Angelos suos Spiritus; » in Joan., Apocalyps., 1, 4, « et a septem Spiritibus, qui in conspectu throni ejus sunt; » in Epist. ad Hebræos, c. 1, v. 14, « Administratorii Spiritus, » et in aliis sexcenties. Atqui Spiritus est substantia simplex et incorporea.

Id concluditur aperte ex duabus observationibus : 1° quod vocabulum Spiritus in Scripturis semper accipitur pro substantia simplici et incorporea, nisi aliquod addatur, quod sensui generali modificationem importet; 2° vocabulum Spiritus accipitur ad indicandam unam ex duabus substantiis, quibus homo constat, seu ad significandam animam. Atqui anima est substantia simplex et incorporea : ergo et Angeli.

22. Sed hic quoque adversarii proferunt illud celebre testimonium Genes., 6, 2 : « Videntes filii Dei filias hominum, quod essent pulchræ, acceperunt sibi uxores..... » Atqui concipi nequit ut quis sine corpore uxorem ducat.

Ast facile res clara apparebit, si nonnullæ referantur animadversiones; et primo S. August., libr. 15, de Civit., cap. 23, ait: « Illud filii Dei significare non Angelos, sed Seth successores, relatione facta ad Caïnitas; nam veri Dei cultores sunt filii Dei, non veri Dei cultores filii hominum. Unde duæ civitates: justorum, et hominum, id est Dei fideles, et Caïnitæ. » Hinc, prosequitur S. Aug., loc. cit., cap. 1: « Natus est igitur prior Caïn ex illis duobus generis humani parentibus, pertinens ad humanam civitatem, posterior Abel ad civitatem Dei; sed cum Abel nullam prolem reliquerit, in ejus locum Seth fuit substitutus. » Et in libr. 2 super Gen., quæst. 3, prosequens idem S. Doctor textus relati interpretationem « Quod essent pulchræ, » ait: « Oculis magisque auribus de uxoribus judicantes. Prima in conjugiis malorum labes est cupiditatis, non rationis aut pietatis judicium sequi, formam tantummodo non virtutem in uxorem quærere. »

2° Familiare est Hebræis fortes et præstantes homines Dei filios nominare; unde Ambrosius, de Noe et Arca, cum ait: « Gigantes, non e terra, sed ex Angelis et ex mulieribus esse generatos, » sequitur translationem 70, et per Angelos viros fideles et justos intelligit, ut apparet ex loc. cit.

3° Et si nonnulli ex Patribus de Angelis illum intellexissent locum Genes., decepti fuere vel ex versione 70, vel ex libro Henoch, ab illis canonico credito.

4° Demum vel loquitur locus ille de malis Angelis, et tunc non filii Dei, vel de bonis, et hi cum in beati-

fica Dei visione essent, non illecebris mulierum indulgerent.

Ergo testimonium Gen., 6, 2, non lædit nostram propositionem.

23. Sed instant : a S. Litteris solent tribui Angelis, quæ concipi nequeunt sine corpore, lingua, nempe tuba canere voces, Dæmones uri igne inferno, etc. Ast hoc non est nisi metaphorice et figurative; et Dæmones in igne compescuntur virtute divina, non tamen vi sua ac materiali: ergo, ex Scriptura, evidens est Angelos vere substantias spirituales esse; et plane corpore destitutas.

24. Quam conclusionem quisquis habere potest etiam ex Traditione, si in medium proferat omnes illos Patres, quos nos in categoria quarta recensuimus; omnes illos scilicet, qui Angelos incorporeos habuere.

Ex his numerantur Ignatius, Dionysius Areopagita, Gregorius Thaumaturgus, Nyssenus Gregorius, Nazianzenus, Joan. Chrysostomus, Theodoretus, Joan. Damascenus, et alii.

Ignatius revera, in Epistola ad Trallenses, vocat illos Cœlites, id est incorporeas naturas; Dionysius Areopagita passim eos appellat corporis expertes.

Gregorius Thaumaturgus illos dicit incorporeas virtutes; Gregorius Nyssenus, incorpoream creaturam; Gregorius Nazianzenus, intelligibilem et incorpoream; S. Joan. Chrysostomus et Theodoretus, substantias penitus incorporeas; Joan. Damascenus Angelos definit substantiam intelligentem, materiæ atque corporis expertem, et ita deinceps: ergo ex Patribus, qui auctoritatem magni momenti faciunt, patet doc-

trinam de spirituali ac incorporea Angelorum natura esse peroptime in S. Theologia confirmatam.

25. Sed objicies, multi tamen sunt Patres, qui contrarium tenent.

Ast nos jam proposuimus de his varias categorias, proindeque reponimus in doctrina, quæ certa est, non de fide; unusquisque abundet in sensu suo.

Nihilominus advertimus adeo hanc nostram sententiam hodie factam esse communem inter Theologos, sive catholicos, sive acatholicos, ut nemo ei refragari audeat.

26. Ad quam denique confirmandam etiam rationes theologicæ præsto sunt.

Principio enim scimus ex Marc., 5, v. 9, plures Dæmonum legiones unum corpus hominis invasisse. Atqui hoc concipi nequit, si in Angelis aliqua admittatur corporis moles.

2° Angeli sunt substantiæ cogitantes: ergo incorporeæ.

3° Demum certe explicari non posset velox Angelorum motus, si in involucro corporis illi essent:

Ergo ratio ipsa confirmat Angelos esse incorporeos;

Ergo Angeli sunt meri Spiritus, omnis corporis expertes.

27. Ergo Angeli sunt in loco definitive, quatenus nempe non ubique sint, sed certis locis quasi definiti; ac Deus de his utitur, ut gubernent nostrum globum terrenum, et sui gloriam et laudes ubique concelebrent (Isai., 6, v. 2; Luc., 2, v. 13); ut ejus voluntates exsequantur quocumque oportet (Daniel, 7); ut judicia Dei quandoque exerceant (Gen. 19, v. 11;

Act. 12, v. 23); ut hominibus Dei voluntatem annuncient (Math. 1, v. 2; Luc., 1, v. 32); ut homines quoque custodiant, juxta illud Psal. 90: « Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. »

Et Math., 18, 10: « Videte ne contemnatis unum ex his pusillis: dico enim vobis, quia Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei. »

28. Ergo Angeli sunt incorruptibiles; nam, ait Sanctus Thomas, 1 libr., quæst. 50, articul. 5, et libr. 2, contra Gentiles, cap. 55: « Nihil corrumpitur, nisi per hoc, quod forma ejus a materia separatur: unde cum Angelus sit ipsa forma subsistens (ut in nostra sententia substantia penitus incorporea), impossibile est quod ejus substantia sit corruptibilis. »

Ergo Angeli sunt incorruptibiles; ergo immortales;

Ergo cognitio Angelorum est tantummodo intellectualis, et non partim sensibilis;

Ergo Angeli loquuntur locutione intellectuali, non quod habeant linguas; et S. Thomas, art. 5, ait hujusmodi locutionem non esse aliud, nisi ejusdem mentis conceptus, ad alium ordinatus.

29. Ex quibus igitur in themate breviter consideratis, jam patet quod demonstrare ab initio proposuimus: Angelos nimirum vere existere, eorum naturam esse incorpoream; ac proinde thesi in præsens propositæ jam satisfecimus.

DE REBUS INSIMUL SPIRITUALIBUS

ET CORPOREIS.

UTRUM PRIMUS HOMO CONSTITUTUS SIT A DEO IN JUSTITIA ORIGINALI, ET UTRUM HÆC ESSET EI DEBITA?

THESIS 9ª.

1. Consideranti cuilibet Dei Omnipotentis infinitam sapientiam, illico in mentem venit non posse illum aliquid sine nexu et coordinatione constituere.

Hoc posito, creavit Deus Optimus Maximus substantiam mere spiritualem : utique, et jam vidimus; creavit substantiam mere corpoream, absque dubio, et jam animadvertimus. Necessarium erat igitur ut alterum crearet Ens, quod simul simplici substantia et substantia corporea constaret, id est nexus et coordinatio foret inter has duas substantias; et Creator Æternus etiam hoc Ens e nihilo eduxit. Condidit revera hominem nimirum creaturam rationalem, constantem

anima et corpore; eduxit eum immediate e nihilo, vi suæ dexteræ omnipotentis. « Formavit Deus hominem de limo terræ, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, et factus est homo in animam viventem » (Gen., 2, 7).

Deus igitur totum hominem condidit, corpus quidem quatenus illud e limo terræ formavit, animam autem quatenus inspiravit. Formavit, et inspiravit : ergo immediate condidit : « Unum esse universorum principium creatorem omnium..... qui, sua omnipotenti virtute..... utramque condidit creaturam, ac deinde humanam, quasi communem ex corpore et spiritu constitutam. » Ita Conc. Lateran. IV, in c. Firmiter.

2. « Immisit Dominus soporem in Adam : cumque obdormisset, tulit unam de costis ejus, et ædificavit eam in mulierem » (Gen., 2, 21). Hinc ex latere viri dormientis fœminam conformavit, quæ dicta fuit Eva.

Ergo fœminæ creatio non mythica, neque allegorica, sed historica est;

Ergo Deus immediate condidit primum hominem ejusque adjutorium.

3. Hic Adam fuit primus homo in orbe. « Hæc (sapientia) illum qui primus formatus est a Deo Patre, cum solus esset creatus, custodivit » (Sap., 10, v. 1).

Hic primus Adam fuit solus : « Adæ vero non inveniebatur adjutor similis ejus » (Gen., 1, 20).

4. Ergo ex se dilabuntur futilia somnia illorum, qui hominis originem repetunt vel ab Ovo, vel a Limo, vel a fœcunditate terræ;

5. Ergo per se corruunt Rationalistarum sophis-

mata, dum asserunt Mosaicam historiam de hominis creatione esse mythicam; nam tota et non interrupta traditio contrarium tenet;

6. Ergo in pulverem cadunt, cum ipso Isaaco La Peyrere, figmenta Præadamitarum, et e vita ruunt Coadamitarum systemata;

7. Ergo denique existit primus ille homo, generis humani parens, ex ea omnipotenti virtute ac infinita bonitate, ex qua omnia fiunt.

Nunc quæritur :

1° Homo hujusmodi, id est Primi Parentes, fuerintne constituti a Deo in justitia originali?

2° Et si constituti in illa, essetne ei debita?

8. Quibus quæstionibus, ut facilius satisfieri possit, opere prætium erit breviter, sed clare præmittere:

1° In quonam consistat hujusmodi justitia originalis?

2° Deinde quot et quinam sint status hominis?

9. Nomine itaque justitiæ originalis hic non venit virtus cardinalis, quæ unicuique suum tribuit; sed rectitudo et ordo omnium potentiarum animæ inter se, et respectu suorum actuum; ita ut ratio hominis Deo subjiciatur, cui rationi inferioris ordinis appetitus subdantur, dum animæ corpus obnoxium est; et originalis vocari solet, ex eo quod homo ab origine sua illam tenuerit. Hinc S. Thomas in themate, 4, cont. Gentes, cap. 52, sic loquitur : « Secundum fidem doctrinam ponimus, hominem a principio taliter esse institutum, quod quamdiu ratio hominis Deo esset subjecta, et inferiores vires ei sine impedimento deservirent, et corpus ab ejus subjectione impediri non

posset per aliquod impedimentum corporale, Deo et sua gratia supplente, quod ad hoc perficiendum natura minus habebat. »

10. Quo posito, ad quæstionem : In quonam consistit Justitia originalis?

Prætermittentes disquisitiones Doctorum, cum Theologis, eruditione ac sana doctrina præditis, præcise reponimus, justitiam originalem esse phrasim complexivam, ac in se quatuor comprehendere : gratiam sanctificantem, sive elevationis; donum integritatis, id est omnimodam subjectionem partis inferioris, nempe concupiscentiæ ad superiorem scilicet rationem;

Donum Immortalitatis;

Denique donum Scientiæ.

11. Tres insuper sunt status, in quibus homo a Theologis considerari solet :

Status naturæ puræ; status naturæ integræ, seu innocentis; status naturæ lapsæ.

12. Status naturæ integræ, seu innocentis, consistit in Justitia originali, in sensu superius exposito; status naturæ lapsæ, in amissione hujus Justitiæ originalis, juxta illud Genes., 3 : « Ex omni ligno Paradisi comede : de ligno autem scientiæ boni et mali ne comedas, in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris. »

Status denique naturæ puræ dicitur quod naturæ humanæ ex suis principiis constitutivis omnino convenit, quocumque alio semoto, quod extrinsecus adveniat ipsi indebitum. Hinc a Claris, Tournely, tom. 4, de Gratia, quæst. 11, art. 3, ille status ita describitur : « Status naturæ puræ ille dicitur, in quo nasceretur

homo, sine gratia et sine peccato; obnoxius tamen morti, cæterisque miseriis, quæ naturam ipsam consequuntur. » Postea prosequitur rationes enumerando, quibus hic status a statu innocentiæ et naturæ lapsæ distinguitur : sed nostrum hic non est de illis pertractare.

Unde neque ulterius in præmissis commorantes, ad primam nostram quæstionem veniamus : Utrum Protoparentes constituti fuerint in statu Justitiæ originalis ?

13. Pelagiani, Sociniani, Arminiani et Rationalistæ omnes negant Primos Parentes esse in Justitia originali constitutos : ergo pro his nunc homo est, qualis a Deo conditus; ergo nihil amisit per lapsum; ergo nulla reparatio necessaria, neque redemptio;

Ergo nullum peccatum originale; ergo nulla gratiæ necessitas.

14. Quod hæc lugubris infestaque doctrina sibi repugnantiam implicet, gravissimosque contineat errores, facile videtur, nostras probando quæstiones; proindeque illico in primis contra hos omnes asserimus.

15. Protoparentes esse a Deo constitutos in statu Justitiæ originalis.

16. Hanc propositionem ad fidem pertinere nemo refragari audeat; id enim aperte sancitum est in Conc. Trid., sess. 5, can. 1 : « Si quis non confitetur primum hominem Adam, cum mandatum Dei in Paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem, et justitiam in qua constitutus fuerat, amisisse..... anathema sit. » Quæ verba S. Synodi non indigent interpreta-

tione; adeoque ad nostrum confirmandum institutum prosequentes, aliis sacris utimur argumentis, sed thesim per partes pertractabimus.

17. Et primum Primi Parentes in statu sanctitatis fuerunt constituti.

Legitur sane in Genes., 1, 26 : « Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram. » Atqui, ex Bellarmino, imago refertur ad naturam hominis, et similitudo ad sanctitatem; et Origenes, contra Celsum, libr. 6, in virtutibus et sanctitate eam imaginem locat : ergo Deus Protoparentes in sanctitate et justitia constituit; in illa scilicet sanctitate et justitia, de qua loquitur Eccles., 7, 30 : « Solummodo hoc inveni, quod fecerit Deus hominem rectum. » Et quanam rectitudine? Illa scilicet, quæ provenit ex sanctitate et justitia; illa rectitudine de qua loquitur Apostolus, ad Ephes., 4, 23, 24 : « Renovamini spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est, in justitia et sanctitate veritatis. »

Ergo Protoparentes fuerunt a Deo in sanctitate constituti.

18. Et fuerunt quoque constituti in integritate, scilicet in omnimoda subjectione partis inferioris, nimirum concupiscentiæ ad rationem.

Ait enim Angelicus Doctor, in art. 2, quæst. 95, 1 p. : « Quia in primo statu (innocentiæ) nullum malum adhæret, nec imminebat, nec aliquod bonum aberat, quod caperet bona voluntas pro tempore illo habendum, ut patet per August., 14, de Civ. Dei, cap. 10, omnes illæ passiones, quæ respiciunt malum in Adam non erant, ut timor et dolor, et hujusmodi :

similiter nec illæ passiones, quæ respiciunt bonum non habitum et tunc habendum, ut cupiditas æstuans. Illæ vero passiones, quæ possunt esse boni præsentis, ut gaudium et amor, vel quæ sunt futuri boni in suo tempore habendi, ut desiderium et spes non affligens, fuerunt in statu innocentiæ, aliter tamen quam in nobis; nam in nobis appetitus sensualis, in quo sunt passiones, non totaliter subest rationi : unde passiones quandoque sunt in nobis prævenientes judicium rationis, et impedientes; quandoque vero ex judicio rationis consequentes, prout sensualis appetitus aliqualiter rationi obedit. In statu vero innocentiæ inferior appetitus erat rationi totaliter subjectus': unde non erant in eo passiones animæ, nisi ex judicio rationis consequentes. »

19. Et jure ac merito ita S. Doctor loquitur; nam in Genes., 3, 10, dixit Adam Deo : « Timui eo quod nudus essem; » respondit ei Deus : « Quis indicavit tibi quod nudus esses, nisi quod ex ligno de quo præceperam tibi ne comederes, comedisti ? » Ergo Protoparentes, antequam comedissent ex ligno, non erubescebant. Et curnam? Quia nulla erat luctatio inter carnem et spiritum.

Ergo Primi Parentes fuerunt in integritate constituti, in qua feliciter permansere, donec per illam prævaricationis offensam, secundum corpus et animam in deterius commutati fuere.

20. Primus Parens, scientiæ dono præditus fuit. Scientiæ sane duæ sunt partes : eruditio, id est scientia rerum theoretica; et boni malique discretio, seu scientia practica.

Jam vero Adam utraque decoratus fuit. Quoad primam, Adam omnibus animantibus nomen dedit : atqui impositio nominis importat cognitionem qualitatum sive moralium, sive physicarum rei ; et cognitio hujusmodi uno actu sive in extensione, sive in intensitate non potest esse nisi supernaturalis.

Ergo Adam habuit scientiam infusam theoreticam. Dixerat proinde Eccl., 17, 6 : « Creavit illis scientiam spiritus. » Habuit et scientiam practicam : voluntas enim Adam erat conjuncta cum perfecto amore Dei ; et in hoc amore omnes virtutes theologicæ et morales consistunt. Unde Eccl., cit. cap. 17, v. 16 : « ..... Sensu implevit cor illorum, et bona et mala ostendit illis. » Et curnam? Quia, ait S. Aug., « ex ignorantia dehonestat error, ex difficultate cruciatus affligit. » Nec cruciatus vero, nec difficultas concipi potest cum statu beatitudinis.

Hinc jure ipsemet Beatus Doctor, in libr. 5, Oper. imperf., cont. Julian., cap. 1, exclamat : « ..... Eos qui in hoc sæculo ingeniosissimi apparent..... si Adami ingenio comparentur, distare longe amplius, quam celeritate a volucribus testudines distant ; atque ingeniis tam excellentibus Paradisi felicitatem implendam fore, si nemo peccasset. »

Nihilominus, quoniam Protoparentes non erant infinita præditi sapientia, poterant profecto falli, poterant libertate abuti, ac ab ordine statuque integritatis desciscere. Et defecerunt. Ait revera in quæstione Conc. Arausic., 2, can. 19 : « Natura humana, etiamsi in illa integritate, in qua condita est permaneret, nullo modo seipsam Creatore suo non adjuvante servaret. »

Ergo Adam fuit in integritate constitutus, in qua tamen non confirmatus.

21. Præter has memoratas dotes, sublimis illa accedebat, quæ præ oculis supernaturalis apparet, scilicet corporis immortalitas.

Constat enim corpus partibus : ergo corruptibile.

Atqui Adam in statu innocentiæ habuit quod potuisset non mori, sed hoc ex privilegio, dum ex conditione naturæ mortalis erat.

Audiatur in re S. Augustinus, in libr. 6, de Genes. ad litt., cap. 25 : « Ante peccatum, et mortale secundum aliam, et immortale secundum aliam causam, dici poterat (corpus Adam), id est mortale quia poterat mori, immortale quia poterat non mori. Aliud est enim non posse mori, sicut quasdam naturas immortales creavit Deus ; aliud est autem posse non mori, secundum quem modum primus creatus est homo immortalis, quod ei præstabatur de ligno vitæ, non de constitutione naturæ..... Mortalis ergo erat conditione corporis animalis, immortalis autem beneficio Conditoris. »

Quod autem Protoparentes hoc dono donati essent nisi peccassent, aperte a Moyse explicatur, et a Paulo Apostolo, ad Rom., 5, et alibi confirmatur. Hinc Patres Carthaginienses et Patres Tridentini, sess. 6, can. 1, anathemate feriunt eos omnes, qui affirmant primos homines morituros fuisse, etiamsi non peccassent.

Ergo Primi Parentes fuerunt in immortalitate constituti, id est morti obnoxii quoad corpus non erant.

22. Fuerunt igitur Primi Parentes constituti a Deo

in sanctitate, in integritate; fuerunt præditi scientia supernaturali, immortalitate.

Atqui hæc omnia efformant justitiam originalem.

Ergo Primi Parentes fuerunt a Deo in justitia originali constituti.

23. Sed hæc justitia originalis eratne eis debita?

Lutherani, Calvinistæ, Janseniani reponunt hujusmodi originalem justitiam fuisse homini debitam ac naturalem, adeoque pro his homo per lapsum in essentialibus corruptus est : ergo nullum liberum arbitrium; ergo concupiscentia formale peccatum; ergo actiones malæ hominibus non imputandæ; ergo Deus in homine peccat, et alia hujus generis.

Ast nos, dum istos detestamur errores, his abhorremus absurdis, absque ulla hæsitatione reponimus,

Justitiam originalem non esse Protoparentibus debitam, id est naturalem.

24. Et sane debitum naturæ sub quadruplici respectu considerari potest :

1° Vel quatenus profluit ab ipsis principiis naturam constituentibus;

2° Vel quatenus ab origine contrahitur;

3° Vel quatenus perficit naturam in suis operationibus;

4° Demum quatenus naturæ consentaneum est.

Indebitum naturæ, e converso, duplici ratione dici potest : vel per se, quatenus non venit ex naturæ principiis; vel per accidens, quatenus ex miraculo obtinetur, quod tamen ex natura fluere soleat.

25. Atqui justitia originalis erat homini indebita ratione sui, vel per se.

Et re quidem vera, non erat debita Protoparentibus Gratia Sanctificans; nam gratia, ut ait S. Paulus, est gratuita; et de ea dicit S. Aug. in Psal. 70, v. 1 : « Si propterea gratia est, quia gratis est, nihil tuum præcessit ut acciperes. » Ergo sola descendit a liberalitate Dei; ergo indebita.

Nec ipsam exposcit in suis essentialibus constitutivis natura hominis; nam hæc illud tantum requirit, ut homo sit animal rationale et ad bonum sui ordinis comparatum, ad ordinem scilicet naturalem, ad beatitudinem in genere, sive abstractivam.

Hinc non esset infelix homo, si finem supernaturalem non attingeret, neque perversus, si eum non appeteret; nam beatifica visio Dei non est finis naturalis hominis non elevati.

26. Indebita quoque fuit integritas; nam homo cum sit ens duabus constans partibus, ex quibus una spiritualis, tendens ad spirituale, altera corporea, ad sensibile tendens, natura sua aliqua exurgere debebat luctatio inter spiritum et corpus, juxta illud Apostoli : « Sentio aliam legem membris meis, repugnantem legi mentis meæ. » Quod si igitur habes in primo homine veram subordinationem appetitus ad rationem; quod si habes voluntatem nullis vitiatam pravis affectionibus, nullis exagitatam pravis motibus, uno verbo luctationem non habes inter carnem et spiritum, tunc invenies aliquid, quod homini naturale non est : ergo indebitum.

Et adversariis, qui opponunt non potuisse Deum condere hominem absque rectitudine physico-morali, id est ignorantiæ et concupiscentiæ obnoxium, repo-

nimus non potuisse illum condere cum actuali deordinatione physico-morali; non potuisse illum condere tali præditum natura, ex qua abusu libertatis oriri posset inordinatio moralis, absque hæsitatione negamus.

Ergo Protoparentibus indebita integritas.

27. Erat quoque indebita scientia Adami, a Dei liberalitate largita; nam hic multa cognovit manifeste, quæ nunc non possumus cognoscere, nisi credendo (S. Thomas, 2, 2, quæst. 5, art. 1). Ergo obtinebat scientiam superiorem naturæ limitibus circumscriptæ; ergo indebita.

28. Unusquisque denique præ oculis videt conditionem corporis Protoparentis esse similem conditionibus aliarum rerum; est enim corpus partibus conflatum: ergo segregatis partibus, interire debet. Atqui Adam habebat posse non mori; ergo Deus largitus erat quod naturæ et conditioni corporis minime conveniebat; ergo ex privilegio et beneficio Creatoris ei collatum, non conditione naturæ; ergo hoc donum indebitum.

Et Deus utique pœnam mortalitatis non inflixisset Adamo, juxta id quod declarat Conc. Orausicanum, 11, can. 2, nisi peccato se commaculasset: æternus enim Creator hanc immortalitatem promiserat, si Protoparentes non comedissent ex ligno boni et mali; et ipsi comedere.

29. Ergo Protoparentibus fuit indebita Gratia Sanctificans, Integritas, Scientia supernaturalis et Immortalitas; ergo Protoparentibus justitia originalis erat indebita; ergo si Deus illis hanc ademit

postquam de ligno comederint, certe non fuerunt in essentialibus vulnerati: essentia enim est id, quod primo concipitur in ente, et a quo omnes alias proprietates profluunt; nimirum est illa realitas, quam si tu e medio auferas, ens destruitur.

Ergo Lutherani eorumque proselytes, vel fatentur post lapsum Adami homines non existere, vel justitiam originalem ei indebitam. Primum est absurdum asserere, remanet et secundum.

Ergo justitia originalis non erat Protoparentibus debita; proindeque systemata adversariorum ex se prolabuntur cum suis erroribus.

Ergo cum Deus, misericordiæ dives, Protoparentes in statu felicitatis et sanctitatis constituit, hoc solum ex sua infinita patravit liberalitate.

30. Sed hi Protoparentes in hoc justitiæ et innocentiæ statu perseverarunt? Minime; quinimo per mandati sibi traditi transgressionem exciderunt ab illo, omnibusque obnoxii fuerunt illis pœnis, quas ipsis Deus interminatus erat.

31. Unde peccatum originale, quod consistit in amissione justitiæ originalis.

Sic sane loquitur in re S. Thomas, in 1, 2, quæst. 82, art. 3: « Est attendenda causa originalis peccati ex causa originalis justitiæ, quæ ei opponitur..... Tota autem ordinatio originalis justitiæ ex hoc est, quod voluntas hominis erat Deo subjecta..... Sic ergo privatio originalis justitiæ, per quam voluntas subdebatur Deo, est formale in peccato originali. »

32. Hinc recte procedit hujusmodi originale pecca-

tum in omnes Adæ posteros transfundi, non imitatione, ut aiunt adversarii, sed vera propagatione.

Et re quidem vera Protoparentibus data fuit justitia originalis a Deo, id est Sanctitas, Integritas, Scientia supernaturalis, Immortalitas corporis, hac conditione, ne ex ligno comederent.

Et nisi comedissent, hoc sublime donum illis remansisset; ideoque et in hæredes transfusum esset. Quod si comedissent, hujus divinæ liberalitatis donum amitterent; ac per consequens illud amissum non poterat transfundi in hæredes, hoc est in posteros.

Atqui Adam transgressus est præceptum Dei: ergo Adam amisit dona Dei; ergo hæredes, omne genus humanum nempe non poterat a Protoparente Adamo in hæreditatem habere nisi quod ipsi erat; ergo peccatum originale in posteros transfunditur, et Propagatione, non Imitatione.

Unde si sermo habeatur de gratia sanctificante, ex ejus privatione fit ut Adæ posteri nascantur a Deo aversi, filii iræ, peccatores, damnatione obnoxii; si de cæteris donis, ex eorum privatione fit ut posteri Adæ nascantur cum concupiscentiæ inordinatione, mortales, ignorantiæ et doloribus addicti; id est subjiciantur totidem illis pœnis et affectibus, qui ortum ducunt ab illa transgressione divini mandati, ex qua justitiæ originalis privatio venit.

33. Et ex quibus facile eruitur liberum hominis arbitrium per originale peccatum non esse extinctum, sed tantum deminutum: quod quisque in se experiri potest, et experitur. Unde jure Conc. Trid. hujus veritatis adversarios anathemate ferit, sess. 6, can. 5,

illis verbis : « Si quis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum, et extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, imo titulum sine re, figmentum denique a Satana invectum in Ecclesiam, anathema sit. »

34. Et jam ex his omnibus breviter delibatis, nostræ thesi satisfecisse existimamus. Vidimus profecto Deum Optimum Maximum hominem ex nihilo creasse, veluti nexum inter mere spirituale, ac inter mere materiale; illum condidisse in justitia originali, quæ tamen non erat ei debita, et quam amisit ex divini præcepti transgressione: adeoque per consequens peccatum venit originale in universum genus humanum transfusum, quodque proinde pœnis et affectibus ex eo manantibus obnoxium factum. Quod erat in duabus nostris præpositis quæstionibus demonstrandum.

DE ÆTERNITATE PŒNARUM.

UTRUM DÆMONUM HOMINUMQUE IMPIORUM ÆTERNÆ SINT PŒNÆ.

THESIS 10ª.

1. Fecit Deus sua divina virtute atque omnipotenti sapientia cœlum et terram, et omnia quæ in eis sunt; creavitque illa propter hominem, ut is præ cæteris entibus plurimis decoratus perfectionibus, Deo benediceret, ejusque gloriam hoc in orbe terrarum immediate celebraret. Sed brevis admodum præsens hominis vita! Et cum ad futuram pergat, sola ejus opera eum sequuntur. « Opera enim illorum sequuntur illos. »

Quæ opera, 1° vel talia sunt, ut ipse nulla macula obstrictus, e vita decedat; 2° vel talia sunt, ut macula, quamvis leviori aspersus, diem obeat supremum; 3° vel talia sunt, ut gravi culpa coinquinatus, e vita migret; 4° vel denique nondum lavacro regenera-

tionis purificatus, id est noxa originali devictus, vitam finiat.

Quatuor igitur sunt status, quibus creatura rationalis in hujus curriculi termino inveniri potest, et totidem per consequens sunt status, qui eum in altera vita diversimode excipiunt.

Sermonem de illis breviter, sed singulatim, agamus.

2. Hinc si homo in primo statu feliciter decedat, tunc statim ascendit ad illam beatificam visionem, quæ dicitur a Boetio, de Cons. Philos., libr. 3, part. 2 : « Status omnium bonorum aggregatione perfectus ; » et a S. Aug., Enarr. in Ps. 11, n. 11 : « Bonorum omnium summa et cumulus, » in qua « fulgebunt justi, et tamquam scintillæ in arundineto discurrent » (Sap. 3, 7 ; Matth., 13, 43) ; ad illam beatam sedem, in qua « videtur Deus, non per speculum et in enigmate, sed facie ad faciem » (1 Cor., c. 13, v. 12) ; « et intuetur clare trinus et unus sicuti est » (Benedictus XII, in Const. Benedictus Deus) ; « ad regnum Unigeniti Redemptoris, in quo neque ruga, neque macula invenitur, et omne desiderium est plene completum ; » « illa cognitione, concludit Doctor Aug., de Spiritu et Littera, cap. 33, illa visione, illa contemplatione satiabitur bonis animæ desiderium : hoc enim ei solum sat est ; ultra non habet, quod appetat, quod inhiet, quod requirat. »

3. Quod si in secundo statu quis e vita migret, tunc ad illud Purgationis devenit locum, quo in altera vita animæ justorum, non plene in hoc mundo purgatæ detinentur, usque ad integram divinæ jus-

titiæ satisfactionem. « Interim juvantur precibus, ait revera Cyrillus Hierosolymitanus, in Catechesi mystagogica, 5, n. 6; denique pro omnibus oramus, qui inter nos vita functi sunt, maximum esse credentes animarum juvamen pro quibus offertur precatio, dum sanctum illud et tremendum mysterium in altari positum est. »

Et in themate decretorium habetur testimonium libr. 2 Mach., 43 et seqq., de Juda, qui « facta collatione, duodecim millia drachmas argenti misit Hierosolymam pro peccatis mortuorum sacrificium..... quia sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur ; » ita ut ab his animæ justorum solutæ, sicuti incensum ascendant ad illam lucis beatam sedem, insimul cum Angelis et Sanctis ad celebrandam Dei bonitatem atque justitiam.

4. Quod si in quarto vitam finiant statu, id est ante regenerationis lavacrum pereant, tunc ad æternam salutem pervenire non possunt; nam « nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei. » Non potest revera quis regnare cum Christo, qui non fit membrum Christi ; et cum non possit cum Christo in æternum regnare, in æternum damnatur.

5. Quid denique dicendum, si quis gravi culpæ labe coinquinatus e vita decedat, uti tertio loco jam quæ sivimus?

Tunc miser infelix in æternum erit? Pœnis cruciabitur æternis?

6. Origenes Adamantinus, cæteroquin doctissimus et infatigabilis scriptor, ita inficiatus est hominum,

damnatorum ipsorumque dæmonum pœnas futuras æternas, ut demum impii plene suis sordibus purgati, ad vitam essent venturi beatam, ut sit Deus omnia in omnibus.

Huic Origeniano errori adstipulati sunt ita dicti a S. Aug. (de Civ. Dei, **21**, cap. **17** et seqq.) misericordes.

Qui, falsa quadam scientia et miseratione, vel pro impii serius ocius liberationem a pœnis felicitatemque æternam propugnabant, vel illis Dei misericordiam adpromittebant Sanctorum precibus, vel tantum illis lavacro aquæ vivæ regeneratis hanc statuebant miserationem, quamvis impie, aut in hæresi hoc in mundo vitam duxissent, vel solis Catholicis, etiamsi male viventibus, vel illis denique, qui quamquam in peccatis vixissent, tamen eleemosynis indulsissent.

Veniunt deinde Anabaptistæ, Sociniani ac Rationalistæ, qui æternitatem pœnarum denegant; nec desunt inter hos Protestantes non pauci : Petrus Bælius nimirum, qui, in Resp. ad Provinc., tom. 3 Operum, cap. **144**, ostendere conatus est pugnam adesse inter Dei infinitam bonitatem justitiamque, et pœnarum æternitatem. Illum secutus est Anton. Collinsius, in Serm. de libertate cogitandi, sect. **11**, et Jo. Lockius, in suo Christianismo rationi consono.

Nec denique verbum faciam de Incredulis ac Materialistis, qui recto tramite suis ex futilibus systematibus concludere debent pro non existentia inferni, proindeque insimul inficiari pœnarum æternitatem.

7. Sed nos contra hos omnes, more solito, probare conamur in thesi, certum indubiumque esse pœnas

æternas existere, iisque in æternum omnes in altera vita cruciari impios, sive dæmones, sive homines, ideoque hanc statuimus propositionem :

DÆMONUM HOMINUMQUE IMPIORUM PŒNÆ ÆTERNÆ SUNT.

8. Hæc propositio ad fidem spectat : immediate enim a Deo in Scripturis, sive V., sive N. Testamenti revelata videtur; optime a traditione confirmatur, ab Ecclesia expresse proponitur, a ratione roboratur, a consensu universali luculenter evincitur.

9. Et incipientes ab universali consensu, fidenter asserimus opinionem semper fuisse atque etiam hodie esse omnium nationum, omnium populorum, omnium temporum omniumque locorum, hominum animas secundum anteactæ vitæ virtutes aut vitia, præmia aut pœnas in altera vita in æternum habere.

Apud Græcos revera et Romanos nihil certius erat, quam felicitas pro bonis, et miseria pro malis post mortem.

Id enim prædicabant Philosophi, id et canebant Poetæ (S. Aug., de Civ., libr. 22, cap. 25). Hinc vides quosdam, ardenti virtutis merito in cœlum a veteribus fuisse evectos, sicut Pollucem, Herculem, Æneam, Romulum; alios inferioris dignitatis in luna locatos; cæteros ad inferos immissos. Hinc, pro bonis, Insulas Fortunatas, Turrim Saturni, Campum Elysium; hinc, pro malis, Sisyphi saxum; hinc immeabiles inferorum viæ, et ferreæ portæ.

Hoc et tenuisse Græcos habetur a Clemente Alexandr., Stromat. 5, id denique habuisse Turcas, Persas, Mogulenses, Tartaros barbarosque omnes

usque ad novæ terræ cultores recentius detectæ, monet Huetius, in Alneatis, lib. 2, c. 24.

De Judæis ac præcipue de duabus inter eos celeberrimis sectis Pharisæorum et Essenorum fuisse credita supplicia impiorum æterna, testatur Joseph., lib. 8 Antiq., c. 2; et multa in hanc rem ex libris Thalmudicis afferri possent, quæ studiose collegit Julius Bartholoceius, tom. 2, Biblioth. Rabbin., in diss. de Inferno.

Ergo ex consensu universali eruitur in altera vita pro bonis æterna felicitas pro malis æterna miseria.

10. Sed quod a cousensu universali concluditur, apertissime quoque deducitur a S. Litteris, sive Veteris, sive Novi Testamenti.

Legitur sane apud Isaiam, cap. 66, v. 24, de damnatis : « Vermis eorum non morietur, ignis eorum non extinguetur. » Legitur apud Daniel, 12, 2 : « Et multi de his, qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt : alii in vitam æternam, et alii in opprobrium, ut videant semper. » Atqui in his formulis exprimitur acerbitas supplicii; vermis qui rodet, ignis qui urit, et cruciatus æternitas : vermis rodet, sed non consumitur; ignis urit, sed non extinguitur. Ergo ex his eruuntur pœnæ, et æternæ pœnæ; alii enim evigilabunt in æternam vitam, alii in æternum contemptum.

Hinc optime S. Gregorius Papa, explicans illud Job, 20, 18 : « Luet, quæ fecit omnia, nec tamen consumetur, » ait, lib. 15 Moralium : « Quia cruciatur, et non extinguitur; moritur, et vivit; deficit, et subsistit; finitur semper, et sine fine est. »

Ergo ex V. T. clare patet pro impiis pœnarum æternitas in altera vita.

11. Id luculenter deducitur ex plurimis N. T. locis, sed unum vel alterum in medium proferemus. Peremptorium est illud Matth., 25, 41 : « Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo, et Angelis ejus. » Ex quo testimonio aperte concludimus æternis suppliciis esse mactandos diabolum aliosque omnes dæmones ; nam æterno igne illi in sempiternum cruciandi sunt, quibus paratus est : atqui paratus pro diabolo et Angelis ejus.

Quid de hominibus? Prosequitur sacer textus : « Et ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam. » Itaque non solum ignis æternus, sed pœna ipsa et supplicium erit æternum pro Angelis malis quidem et pro hominibus impiis.

In re tamen est audiendus S. August., de Fide et Opere, c. 15, cum interpretetur locum Matth. : « Neque illud dici hic potest in quo nonnulli seipsos seducunt, ignem æternum dictum, non ipsam combustionem æternam. Per ignem quippe qui æternus erit transituros, arbitrantur eos, quibus propter fidem mortuam per ignem promittunt salutem, ut videlicet ipse ignis æternus sit, combustio vero eorum, hoc est operatio ignis, non sit in eos æterna, cum et hoc providens Dominus sententiam suam conclusit ita dicens : sic ibunt illi in combustionem æternam, justi autem in vitam æternam. Erit ergo æterna combustio sicut ignis, et eos in illam ituros veritas dicit quorum non fidem, sed bona opera defuisse declaravit. »

12. Ac jure meritoque S. Doctor ita locutus est ;

nam sacer textus, in Apocalyps., 20, 10, de impiis dicit : « Cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum ; » de justis autem, cap. 22, 5 : « Regnabunt in sæcula sæculorum. »

Habes igitur hic æternam felicitatem pro justis, æternum cruciatum pro malis.

Atqui adversarii admittunt æternam felicitatem pro beatis : debent ergo etiam admittere æternitatem cruciatus pro impiis.

Ita sane ratiocinatus Irenæus, in libr. 4, cap. 47 : « Quibuscumque dixerit Dominus : Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, isti erunt semper damnati ; et quibuscumque dixerit : Venite, benedicti Patris mei, percipite hæreditatem regni, quod præparatum est vobis in sempiternum, hi semper percipiunt regnum, et in eo proficiunt semper. »

Ergo ex Scriptura constat dæmonum hominumque impiorum æternas esse pœnas.

13. Ast, dices, loca Scripturarum, quæ insinuant impiorum æternam damnationem his vocibus interitus, mortis, perditionis vel intelliguntur in sensu proprio, et tunc destructionem important, vel improprie, et tunc diuturnam durationem, non æternitatem.

In primis monemus non tantum usam esse Scripturam his vocibus cum damnatorum pœnam expresserit, sed etiam aliis, id est ignis, tenebrarum, etc.; deinde asserimus Scripturam his vocibus usam esse comparationem nimirum instituentem inter pœnam impiis in inferno paratam et mortem, ita ut significaret tantam hujus cruciatus esse intensitatem, ut sit quasi mors, aut interitus.

Hac posita animadversione, corruit ex se altera difficultas; nam loca in sacris adhibita eloquiis non indicant diuturnam durationem, sed veram æternitatem. Dicunt enim quod impiorum pœna sit sine fine, sit vermis non moriens et ignis inextinguibilis. Et sic etiam resolves alia ex Scripturis objecta : Cum in his dicitur non fore æternam divinam ultionem intelligitur agi de ultione hominibus danda hoc in orbe terrarum.

Sic dices de aliis sacris testibus, in quibus videtur Deum vere comminatum esse æternitatem pœnarum, sed sibi jus reservasse illas mitigandi impiisque indulgendi ; nam decreta Dei, quæ de pœnarum æternitate verbum dicunt, sub duplici respectu possunt considerari : vel quatenus sunt tantummodo comminatoria, vel quatenus sunt quoque absoluta ; et dum ultro fatemur adversariis in primis Deum sibi jus non ademisse mitigandi pœnas, negamus eodem tempore id de secunda parte absolutum : sane Dei decretum debet suæ veracitati et fidelitati ut executioni mandetur.

Remanet igitur nostra propositio ex Sacris Litteris optime comprobata.

14. Nunc ad Ecclesiæ universalem traditionem, quam certum indubitatumque est esse unanimem, antiquam, non interruptam quoad dogma de æternitate pœnarum. Postquam enim primum a Theophilo, Alexandrino Patriarcha, error Origenianus damnatus fuit in Synodo, habita an. 400, una voce Ecclesia universa hujusmodi doctrinam veluti hæreticam habuit ; et Patres recentiores confirmarunt quod Patres anteriores jam dixerant.

15. Sic revera Hilarius loquitur, c. 5, in Matth.: « Igitur requies nulla gentibus neque mortis, ut volunt, compendio quies dabitur. Sed corporalis et ipsis æternitas destinabitur; ut ignis æternus sit in ipsis æterna materies, et in universis sempiternis exerceatur ultio sempiterna. Si igitur gentibus idcirco tantum indulgetur æternitas corporalis, ut mox igni judicii destinentur, quam profanum est Sanctos de gloria æternitatis ambigere, cum iniquis æternitatis opus præstetur ad pœnam. » Quod vero Hilarius hic de gentilium sempiterno supplicio disserit, id aliis in locis de peccatoribus universis affirmat.

Idem et Clemens R., citatus a Damasceno, in Eclogis impiarum animarum sempiternas pœnas prædicat illis verbis: « Immortales, inquit, omnes animæ sunt impiorum, quibus melius foret non incorruptibilibus esse. Nam pœna sempiterna ab inextinguibili igne punitæ, neque morientes nullum finem obtinere possunt. »

Item Tertull., in Apologetico, piis ac bonis vitæ æternæ retributionem destinatam asserit, profanis vero ignem æque perpetuum et jugem.

Sic et S. Hieronymus, contr. Hæres., lib. 4 et 28; sic Justinus Martyr, Apolog., 1, c. 28; sic Cyprianus, Lactantius, Minucius Felix.

S. Doctor Augustinus denique, in libr. de Hæresibus, n. 43, inter Origenis dogmata, quæ Catholica Ecclesia omnino non recipit, hoc etiam recenset de purgatione et liberatione, ac rursus post longum tempus ad eadem mala revolutione rationalis universæ creaturæ: « Quis enim catholicus, subdit, Christianus

vel doctus, vel indoctus, non vehementer exhorreat eam, quam dicit purgationem malorum, id est etiam eos, qui hanc vitam in flagitiis, et facinoribus, et sacrilegiis atque impietatibus quamlibet maximis finierunt, ipsum etiam postremo diabolum atque Angelos ejus, quamvis post longissima tempora purgatos atque liberatos regno Dei lucique restitui ? »

Ergo ex SS. Patribus planum est æternitatis pœnarum dogma.

16. Sed cum adversariis, objicies, non paucos esse Patres, qui contrarium sentiant : inter quos recensetur Gregorius Nazianzenus, qui primum in Oratione 39, quæ est in Sancta Lumina, n. 19, Novatianis comminatur supplicia post mortem, sed purgatoria tantum, non æterna ; ac deinde distinguens duo ignium genera, in Orat. 40, in S. Baptismum, num. 36, sub dubio relinquit. Nihilominus, fatente Niceta, in Comm. ad illas Orat., quamvis hujusmodi loca sint obscura, tamen interpretari possunt de igne sempiterno, secundum ipsius Doctoris mentem, in Orat. 15, n. 30; ubi scribit damnatos a Deo projectos esse, ut inustam in conscientia sempiternæ ignominiæ notam gerant..... nullumque illis locum esse pœnitentiæ neque errorum emendationi.

Recensetur, 2°, Gregorius Nyssenus, qui, in Orat. catechetica, cap. 26, docet peccatum impiorum quasi aurum in fornace longo ardore purgari debere.

Hoc utique sapit hæresim Origenianam; sed ex altera parte utique indubitatum est fuisse id adulterina manu assutum, uti constat ex S. Germano, Patriarcha Constantinopolitano, ex Nicephoro et deni-

que ex doctrina S. Doctoris Gregorii, qui revera in Orat. adversus eos, qui castigationem ægre ferunt, de anima damnati affirmat eam esse luctu numquam finituro ac insolabili in æternum cruciatam.

Numerantur insuper ex Latinis Ambrosius atque Hieronymus, Irenæus et Justinus.

Non loquimur hic de duobus his postremis; nam superius ad eorum veram doctrinam significandam satis jam diximus : proindeque loquentes de S. Ambrosio, adversariis contradicere non dubitamur; nam hic S. Doctor, Enarr. in Ps. 118, veram in themate profitetur doctrinam.

Ita etiam dicendum est de S. Hieronymo; nam, Comment. in cap. 5 Isaiæ, detrahit in gehennam impios eosque æternis suppliciis cruciatos.

Illud vero mirum magis est adversarios scilicet, inter quos Burnetius, in medium proferre Augustinum eumque in partem suam trahere, dum nemo clarius dogma hoc Catholicæ Ecclesiæ tradidit atque in eo acerrime Origenianos vexavit.

Quod si autem Patres vel contra credidere, vel de hac doctrina locuti obscure fuerunt, hoc tantum ex unica ratione venit, quia locuti sunt antequam Ecclesia, in Synodo V Œcumenica Constantinopolitana, opinionem illam Origenis damnasset.

Ergo ex Patrum traditione firmum dogma æternitatis pœnarum remanet.

17. Quod etiam concluditur ex Martyrum responsionibus, qui cum urgerentur ad diis sacrificandum, id recusabant, ne incurrerent pœnam perpetuam.

18. Unde jure Ecclesia Catholica, in Synodo V Œ-

cumenica, anathemate ferit omnes illos, qui dicerent temporanea esse dæmonum et impiorum hominum tormenta finemque ea tempore aliquo habitura, atque impios ac dæmones in priorem suum statum restitutum iri. Idque etiam eruitur ex Symbolo Athanasiano, quod ita concludit : « Qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam; qui vero mala, in ignem æternum. »

19. Quæ veritas adeo est aperta ac evidens, ut ratio ipsa non modo ei non repugnet, sed imo illam confirmet.

1° Illud revera dici non potest contradictionem ac repugnantiam implicare rectæque rationi adversari, quod a Deo in S. Litteris revelatur : atqui a Deo revelatur æternitas pœnarum pro impiis.

2° Inibi inveniri nequit repugnantia ubi non est animadversa a primis Ecclesiæ luminibus, maximo ingenio præditis ac acutissimo utentibus ratiocinio: Atqui ex Patribus æternitas pœnarum non est animadverse repugnans; quinimo S. Aug. de hoc potissimum utebatur argumento ad terrendos peccatores. De catechizandis enim rudibus, c. 23, ait : « Fuge, frater, fuge illa tormenta, ubi nec tortores deficiunt, nec torti moriuntur. »

3° Pœnæ hujusmodi, sive privativæ sint, quatenus consistunt in amissione Dei summi boni; sive positivæ, quatenus in inflictione cruciatuum seu doloris consistunt, sibi non contradicunt; nam primæ quod æternæ esse debeant ex eo liquet quia peccator, cum sciens lubensque eas per lethalem culpam incurrat, voluntario ab æterna felicitate recedit.

Ut vero æternæ esse debeant illæ pœnæ, quæ po-

sitivæ nuncupantur exinde patet quod, sicut recte agentibus debentur bona, ita perverse agentibus debentur mala (S. Thom., contr. Gent., 3, c. 145, n. 1). Atqui sive bona, sive mala dici possunt æterna; nam utraque relate ad Deum in operationibus habent quamdam speciem infinitatis, et homo, cum sit limitibus circumscriptus, non potest per intensitatem infinite neque frui, neque pati : poterit igitur per extensionem.

20. Hinc peroptime componitur æternitas pœnarum cum Deo infinitis attributis; nam Deus eodem tempore quod est bonus et misericors est etiam justus. Unde posita ex una parte bonitate, ex altera justitia, inter utramque creatura rationalis emittit actiones, quæ si secundum ordinem sunt, tunc veniunt sub bonitatis patrocinio, si sunt contra ordinem, subduntur justitiæ; ac proinde tum unæ, tum aliæ, diversimode sentiunt effectus bonitatis et justitiæ. Ergo non est Deus, qui vult justitiam, sed homines, qui sub justitia ponuntur; ideoque Deus ita hominem condidit ad æternam felicitatem, ut illam nihilominus ipse comparet debitis obsequiis : et hoc in sensu non reddit illum miserabiliorem sed felicem, si in suo ordine consistat.

21. Ergo æternitas pœnarum pro impiis non modo rectæ non adversatur rationi, sed et ab ea confirmatur.

Ergo ex quibus omnibus compendiose delibatis, tum ex Scriptura, tum ex universali Traditione, ex Ecclesiæ veræ decretis, ex rationibus constat dæmonum hominumque impiorum æternas esse pœnas. Quod demonstrare assumpsimus in thesi; et sic insimul explicit Tractatus de Deo Creatore.

DE INCARNATIONE.



THESIS 11ª.

De Christi natura divina et humana, deque ejus unica persona.



1. Disserentes compendiose de homine, illum jam vidimus divina misericordia atque virtute ex nihilo ad existentiam eductum, et veluti primam creaturam in adspectabili hujus mundi machina vocatum, ut primus inter rerum ordines jubilaret Deo ejusque laudes cum Angelis celebraret. Consideravimus illum præterea Justitia Originali præditum in Paradiso voluptatis locum obtinere ibique frui Deo, ex quo bonus erat bonus. Vivebat inibi scilicet sine ulla egestate, ita semper vivere habens in potestate. Cibus aderat, ne esuriret; potus, ne sitiret; lignum vitæ, ne illum senecta dissolveret; summa in carne sanitas, in anima tota tranquillitas. Sed heu infelix homo!!! per transgressionem divini mandati hæc omnia perdidit et in maximam incidit calamitatem, in quam totum insimul humanum genus traduxit.

Ast Dei Patris infinita misericordia, ut illum a tanta traheret miseria, Unigenitum misit Filium suum, qui proprio suo sanguine nos a dæmonis liberavit captivitate.

De hoc igitur magno pietatis Sacramento in præsenti nostrum est disserere, ac illa humilitate, reverentia et præcisione, quæ in re tanti momenti necessario requiritur : postquam aliquid de hoc divino Redemptore, id est de Messiæ adventu breviter dixerimus, disseremus in hac disceptatione de hujus Reparatoris, seu Christi natura divina atque humana deque ejus unica persona; et ex quibus illa deducimus corollaria, quæ ad thesim habeant relationem.

In altera vero subsequenti disceptatione de Christi vero ac proprie dicto sacerdotio ejusque aliis in hac mortali vita muneribus, agemus; et sic hujus magni pietatis Mysterii etiam præcipua delibabimus.

2. Sit igitur in re brevis sed immediata tractatio.

Nomine itaque Messiæ non significatur aliquod vagum, aut indeterminatum, aut multiplex, uti autumat Judæus, incredulus Salvador, sed peculiare aliquod individuum, quod a Deo in lege promissum fuit, et ab Hebræis quovis tempore expectatum.

Si enim primo limine lex, id est universus aperiatur Pentateuchus, meridiana luce clarior hæc exsurgit veritas.

Quod autem Messias ab Hebræis quovis tempore expectatus sit, facile evincitur ex oraculis ejusdem legis, ex non interrupta Hebræorum traditione, ex universali denique omnium nationum consensu; et a quibus insimul eruitur hujusmodi Messiam esse indi-

viduum singulare, unicumque, ex eo quod habeat singulares characteres, unicaque officia.

3. Atqui Messias ille jam venit : epocha enim ejus adventus ex Scriptura certa ac determinata fuit, quæ tamen retardari nequibat, et jamdiu elapsa est.

4. Atqui hic verus Messias est Jesus Nazarenus, id est Christus.

Et sane ille dicendus est verus Messias, in quem 1° epochæ a Prophetis determinatæ collimant; 2° in quem munia et officia obeunda, a Prophetis relata, conveniunt; 3° in quem notæ et characteres promissi Messiæ conspirant.

Atqui hæc omnia in Jesu Nazareno, seu Christo, verificantur.

5. Et re quidem vera, ex vaticinio Jacobi Messias venturus erat, fatiscente Judaica republica; et Jesus Nazarenus hoc tempore venit, nempe regnante Herode.

Ex Daniele Messias venturus erat circa exitum septuaginta hebdomadum; et Jesus Nazarenus venit hoc tempore, ita ut in initium postremæ hebdomadis se publice manifestaverit, in medio hujus hebdomadis morti addictus fuerit.

Ex Aggæo et Malachia Messias venturus erat, stante adhuc secundo templo. Et Jesus Nazarenus hac venit ætate : disputationem sane tenuit in templo cum Doctoribus, ex eo cum funiculis ejecit mercatores, et post ejus mortem flammis consumptum est templum.

Ergo epochæ ad determinandum adventum veri Messiæ cum Jesu Nazareni adventu mirifice concordant.

6. In hunc munia atque officia obeunda veri Messiæ conspirant.

1° Munus porro erat Messiæ cultum abrogare veterem, novumque sufficere (Malach., 10 et seqq.). Hoc fecit Christus; nam morte sua sacrificio, cultui, sacerdotio Aaronico finem fecit.

2° Messiæ erat vocare gentes ad amorem cognitionemque Dei, ideoque Synagogam rejicere, juxta illud Jacobi : « Et erit expectatio gentium. » Et Jesus Nazarenus hic fuit, illud fecit, uti constat ex historia Evangelica; et sic deinceps.

Ergo in Jesu Nazareno illa inveniuntur officia, quæ vero Messiæ obeunda erant.

7. In Christo denique dantur notæ et characteres veri Messiæ.

Characteres hujusmodi vel respiciunt originem, vel personam. De utrisque loquamur.

1° De origine. Messias nasci debebat ex tribu Juda, ex familia David, ex Virgine Matre (Is., 7, 14). In Bethleem, civitate Judæ (Michæas, 5, 2).

Atqui hæc sunt in Jesu Nazareno verificata (Matth., c. 1, v. 6; Joan., 8, 42). Ergo.

2° Veniamus nunc ad characteres, quæ respiciunt personam. Moyses erat in Scripturis Messiæ typus, præceptor, thaumaturgus, legislator. Ergo Messias hæc omnia in summo gradu obtinere debebat (Isaias, c. 55, v. 4; idem, 2, 3; Zach., 9; Is., 35, 6).

Insuper ei erat sacerdotale munus adscriptum (Psal. 109), ingredi templum Zorobabelicum, hominum delicta ferre, vendi triginta argenteis, falso accusari, sævæ morti addici (Dan., 9); supplicii crudo

genere cruciari (Psal. 21; Isaias, 53), resurgere demum debebat et gloriam afficere (Psal. 109 et 16). Sed hæc omnia in Jesu Nazareno sunt, uti concluditur evidenter ex historia Evangelica.

Ergo characteres et notæ, quæ vero Messiæ tribui solent, in Jesu Nazareno inveniuntur.

Ergo in Jesu Nazareno conspirant epochæ, a Prophetis in verum Messiam determinatæ; concordant officia et munia obeunda, vero Messiæ collimant demum notæ et characteres.

Ergo Jesus Nazarenus, nempe Christus, est verus Messias.

8. Sed quisnam est hic Christus?

Est Verbum Dei, homo factum per assumptionem carnis.

Unde Incarnatio, seu œconomia, seu dispensatio in actione divina est assumptio naturæ humanæ, a Verbo divino facta in unitate personæ ad humanum genus redimendum.

In modo vero post assumptionem est unio duplicis substantiæ humanæ videlicet et divinæ in unica divini Verbi persona, unde Christus.

9. Hinc quæritur : hic Christus estne vere ac proprie Filius Dei?

Photinus, Theodotus ac Paulus Samosatenus divinitati carnem sumere haud convenire contendunt, ideoque concludunt : ergo Christus non est Deus.

Sociniani hunc renovant errorem. Rationalistæ ulterius progrediuntur; et negantes existentiam Verbi, illud habent veluti quoddam Dei attributum ac proinde concludunt, Christum esse simplicem hominem

ac Dei legatum, et si sanctum, doctum ideoque conferendum esse cum Pythagora, Socrate, Zoroastro, Confucio aliisque, quos Deus excitavit, ut dictis, factisque suos edocerent populares, ac institutis sive politicis, sive religiosis ad posteros transmissis, illos a vitiis, pravisque moribus arcerent.

Sed quidquid impii in contrarium sentiant, nostrum est ostendere Christo vere ac proprie inesse divinam naturam, proindeque contra hos omnes sit

PROPOSITIO :

VERE AC PROPRIE DICTA DIVINITAS, SEU NATURA DIVINA, IN CHRISTO JESU AGNOSCENDA EST AC PROFITENDA.

10. Neminem præterit hanc propositionem ad fidem spectare; nam clara est Sacris Eloquiis, ex professione fidei in omnibus symbolis exhibita, peroptime ab universa Ecclesiæ traditione comprobata.

Hinc facile nobis erit hoc unico argumento illam probare.

Ille dicendus est esse vere Deus, 1° qui habet nomen divinitatis; 2° qui habet divinam essentiam; 3° qui habet divina attributa; 4° qui tribuit sibi veram divinitatem; 5° cujus verba Judæi et Discipuli ejus intellexerunt de vera divinitate; 6° et omnes inspirati scriptores hujus articuli professionem veluti præcipuum fundamentum constituunt fidei; 7° cui denique tribuitur cultus Latriæ.

Atqui hæc omnia Christo conveniunt.

11. Et sane Christus habet nomen divinitatis. Jeremias reapse, antiquas Messiæ promissiones repetens, cap. 18, 6 : « In diebus illis, ait, salvabitur Juda..... et hoc est nomen, quod vocabunt eum Dominus. » Sed, ut Judæi fatentur, sacrum et ineffabile nomen Jehovah (Dominus), nonnisi vero Deo tribuitur. Ergo Messias verus Deus futurus erat : atqui Messias est Christus. Apostolus enim Paulus, alludens huic Jeremiæ loco, 1 Corinth., 1, 30, inquit de Christo : « Qui factus est nobis sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio. » Ergo Christus habet nomen divinitatis.

12. Christus habet naturam divinam. Pater Æternus, loquens per Davidem (Psal. 102), de Filio suo ait : « Ante luciferum genui te; » alibi : « Filius meus es tu, ego hodie genui te; » Joan., c. 1, v. 18 : « Unigenitus, qui est in sinu Patris; » Apost. ad Galat., 4, 14 : « Filium Dei proprium. » Atqui, Filius meus, Unigenitus, Filius in sinu Patris, Filius Dei proprius alius non est nisi ille, qui Patris ex natura originem trahit : ergo Filius est Patris naturalis; sed Filius naturalis dicitur, qui Patris naturæ participat, qui Patri consubstantialis est, qui ejusdem naturæ Patris est. Atqui natura Patris est divina; ergo natura Filii est divina.

Nam, docente Athanasio, generatio in divinis non consistit in origine viventis a principio vivente conjuncto in similitudinem, ita ut essentia geniti distincta ac divisa sit a genitore, sed una, imo unica stante essentia, efficitur generatio; ergo Filius est ejusdem essentiæ Patris, est Patri consubstantialis.

« Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit Filio habere vitam in semetipso » (Joan., 5, 26); et alibi : « Ego et Pater unum sumus..... Pater in me est, et ego in eo. »

Atqui Filius hic est Verbum; sed Verbum hujusmodi est Christus : ergo Christus habet divinam essentiam, naturam divinam.

13. Christus habet divina attributa.

Hic Filius estne revera eadem Patris natura? Estne eadem Patris substantia?

Utique. Atqui in eadem natura, in eadem substantia non possunt nisi identica attributa consistere : ergo Filius, id est Christus, habet Patris divina attributa; hinc Pater æternus, Filius æternus; Pater creator, Filius creator; Pater omnipotens, Filius omnipotens; Pater summe sapiens, Filius summe sapiens; Pater summe bonus, Filius summe bonus; et sic deinceps. Jure ac merito igitur Joan., 5, 21, de Verbo ait : « Quæcumque ille (Deus) fecerit, hæc et Filius similiter fecit. » Pater creavit, et Verbum creavit. Atqui Verbum est Christus : ergo Christus habet divina attributa.

14. Christus tribuit sibi veram divinitatem. Ait enim apud Joan., 3, 16 : « Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. » Atqui Filius Unigenitus est ille, qui Patris naturæ est particeps. Sed Pater est verus Deus : ergo Filius veram sibi tribuit divinitatem. Atqui Filius dat vitam æternam; sed qui dat vitam æternam est Ens Supremum, est Deus verus : ergo Filius, nempe Christus, sibi tribuit veram divinitatem.

15. Verba Christi Judæi et discipuli ejus intellexerunt de vera divinitate.

Judæi revera propterea eum uti blasphemum interficere voluerunt, quia dicebat se esse Deum, æqualem se faciens Deo (Joan., 5, 18); « et quia tu, homo cum sis, facis teipsum Deum » (Joan., 10, 33).

Quoad discipulos ejus plana res est; nam Apostolus Paul., in Epist. ad Hebræos, 1, Christum ita vocat Filium Dei, ut sit splendor Patris, et figura substantiæ ejus, portansque omnia verbo virtutis suæ..... per quem fecit et sæcula.

Idcirco Filius ante sæcula erat : ergo Patri coæternus, splendor Patris; ergo Filius ejusdem gloriæ majestatisque Patris; nam splendor, qui emanat ex eo, radius est profluens a sole : jam vero natura radii est identica naturæ solis, a quo originem ducit; unde Pater Deus, Filius Deus et figura substantiæ ejus. Atqui figura essentialis æternæ substantiæ sic expressa, ut sit per omnia illi similis et æqualis omnino, scilicet ejusdem naturæ.

Portansque omnia verbo virtutis suæ, nimirum regens, gubernans, conservans et continens omnia nutu suo ac potentia. Atqui conservatio continua idem est ac creatio, et creatio subaudit infinitam potentiam : ergo Filius, id est Christus, est omnipotens.

Purgationem peccatorum faciens. Peccatorum purgatio gratiam sine limitibus subaudit, sed hanc non possidet nisi Deus : ergo Filius, seu Christus, est Deus.

Ergo ex Apostolo Paulo non solum verba Christi sunt accipienda in sensu ut ipse sibi veram tribuat

divinitatem ac realiter illam habeat, sed insuper ut ei sint omnia alia attributa divina.

Et sic de aliis discipulis dices.

Ergo tum Judæi, tum discipuli Christi, intelligunt ejus verba de vera divinitate.

16. Omnes inspirati Scriptores hujus articuli professionem veluti præcipuum fundamentum constituunt fidei a Jesu prædicatæ..... Judas, Epist. sua, 4 et 5, S. Joan., 1 Epist., 1, 2, vocat Christum vitam æternam; Petrus apud Matth., 16, Filium Dei vivi; Lucas, 1, 16, Dominum Deum.

Ergo vel Christus verus Deus, vel de religione Catholica actum est.

17. Christo denique tribuitur cultus latriæ.

Magi adoraverunt eum, cæcus procidens adoravit illum. Atqui cultus latriæ soli Deo tribuendus est: « Soli Deo honor et gloria; Deum tantum adorabis; in nomine ejus terrestrium, cœlestium, inferorum omne genuflectetur. »

Ergo Christo tribuitur cultus latriæ; ergo Deus.

18. Atqui ille qui habet nomen divinitatis, divinam essentiam, divina attributa, qui tribuit sibi divinitatem, cujus verba Judæi ac discipuli de vera intellexerunt divinitate, Scriptores inspirati de hac veritate fundamentalem Catholicæ religionis articulum fecere, cui denique tribuitur cultus latriæ est vere ac proprie Deus.

Ergo vera ac proprie dicta divinitas, seu natura divina in Christo Jesu, agnoscenda est ac profitenda.

19. Et nunc veniant adversarii et dicant, Sacras Litteras Christo improprie nomen Dei tribuere ac alias

proprietates ex hoc ei conferre, utpote Dei legato, qui Dei ipsius personam sustinet. Nam ex dictis jam patet quantam in se absurditatem hujusmodi contineant oppositiones; nam Christus est verus Deus. Numquam se exhibet ut merum Dei legatum, et quamvis divinam naturam cum divinis attributis sibi adscribat, hæc tamen omnia a Patre sibi communicata ab æterno prædicat, quia ex eo prodivit, ab eo processit : cum Patre sine fine regnabit, et regni ejus non erit finis.

Ergo semper in suis viribus nostra manet propositio.

20. Quæ etiam peroptime probatur ab universali Traditione. Patres revera id unanimi voce confitentur; et ne nimius sim, in medium tantum proferam S. Irenæum, qui, provocans hæreticos sui temporis Christi divinitatem negantes, hæc ait : « Ecclesia per universum orbem usque ad fines terræ seminata est; et ab Apostolis et a discipulis eorum accepit eam fidem, quæ est in Deum Patrem Omnipotentem, et in unum Jesum Christum, Filium Dei, incarnatum pro nostra salute. »

21. Hoc et hæretici ipsi quandoque confessi sunt, hoc sæpissime Martyres, hoc denique semper tenuit vera catholica fides, uti in omnibus Symbolis profitetur.

Ergo Christus est vere ac proprie Deus.

22. Estne verus homo?

S. Leo Magnus, in Serm. 28, qui est octavus in Nativitate Domini, de sanctissimo Incarnationis Mysterio (cap. 4), recensens errores hæreticorum : « Alii etenim, inquit, Domino solam humanitatem, alii solam adscripsere divinitatem. »

Et jure ita locutus est, nam adversarii etiam contra Christi naturam humanam difficultates faciunt.

Alii nimirum illam apparentem dixerunt, ut Phantasiastæ; alii Christo tribuerunt corpus, sed æthereum atque sidereum, vel cœleste, ita ut transitum fecisset per Mariam, ut aqua per tubum; nonnulli Christum dixere a S. Josepho progenitum, uti Cerinthiani atque Ebionistæ, et ita deinceps.

Ast nos contra hos omnes Christi veram humanam naturam vindicabimus, ac deinde totidem necessaria corollaria deducemus, proindeque hanc statuimus propositionem :

VERBUM DIVINUM HUMANAM NOBIS CONSUBSTANTIALEM ASSUMPSIT NATURAM, INTEGRAM ATQUE PERFECTAM.

23. Edicitur sane in Concil. Chalcedonen., act. 5 : « Christum perfectum in humanitate, Deum verum et hominem verum, eumdem ex anima rationali et corpore, consubstantialem nobis secundum humanitatem, per omnia similem nobis, absque peccato. » Et in Symbolo Athanasiano dicitur : « Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali, et humana carne subsistens. »

24. Atqui hoc jure meritoque; id enim plane evincitur ex Joan., in initio Evangelii sui : « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. » Ergo hujusmodi Verbum est Deus, scilicet habet proprie dictam divinitatem; sed hoc Verbum est Christus : unde Christus est Deus.

Sed Verbum hujusmodi caro factum est, nimirum assumpsit veram nostram carnem et inter nos fuit, habitavit in nobis, et quomodo? Veluti verus homo;

ita ut Unigenitus Dei verus ex essentia Patris naturam haberet divinam, ex assumptione carnis naturam haberet humanam. « Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre. » Hinc si Christus ex dictis fuit verus Deus, ex iisdem considerationibus est verus homo, juxta illud Apostoli ad Galat., 4, 4 : « Misit Deus Filium suum, factum ex muliere. » Et passim in Scripturis Christus dicitur homo et filius hominis, datur ejus conceptio, ejus nativitas, ejus vita, mors ac denique resurrectio.

Atqui hæc omnia convenire non possunt nisi vero homini : ergo Christus est verus homo.

« Videte, inquit discipulis suis, manus meas et pedes, quia ego ipse sum : palpate, et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere. » Adhuc autem illis non credentibus et mirantibus prægaudio dixit : « Habetis hic aliquid, quod manducetur? » Et coram eis manducavit, ut per veritatem comestionis veritas patefaceret carnis, inquit S. Gregorius Papa.

Ergo in Christo est vera humana natura.

25. Christus igitur est verus homo : ergo corpus ejus est reale, non apparens, neque phantasticum, uti Phantasiastæ somniant. Et contra hos ratiocinatur S. Thomas, 3 p., quæst. 5, art. 1 : « Si non fuit verum corpus Christi, sed phantasticum, ergo non veram mortem sustinuit, nec aliquid eorum, quæ Evangelistæ de eo narrant secundum veritatem gessit, sed solum secundum apparentiam quamdam ; et sic ita sequeretur quod non fuerit vera salus hominis subsecuta : oportet enim effectum causæ proportionari. »

26. Est corpus Christi verum corpus : ergo non est e cœlo delapsum, non cœlesti substantia constans, sed humanum ex Virgine Matre susceptum. « Filium..... factum ex muliere » (Apost., ad Galat., c. 4, v. 4). « Factum ex semine David secundum carnem » (Paulus ad Rom., 1, 2).

27. Habuit Christus verum humanum corpus : ergo ex suæ naturæ conditione obnoxius fuit effectibus humanis, doloribus et corruptioni. « Vir dolorum et infirmitatem sciens, vulneratus, attritus » (Isaias, 53).

28. Fuit Christus perfectus homo : ergo, contra Apollinaristas, habuit veram animam et mentem. « Videte absurditatem, inquiebat S. Aug. de Apollinaristis (Tract. 47 in Joan., n. 9, tom. 3, part. 2), et insaniam non ferendam : animam irrationalem eum (Christum) habere voluerunt, rationalem negaverunt, dederunt ei animam pecoris, subtraxerunt animam hominis. »

Ergo Christus ex hactenus disputatis, est verus Deus et perfectus homo; habet nimirum veram naturam divinam et veram naturam humanam.

29. Ast quomodo hæ duæ naturæ sunt inter se connexæ ?

Per hypostaticam unionem, ita ut una sit persona, quæ ambas in se naturas sustentet, regat, possideatque.

Quæ unio hypostatica est conjunctio illa, qua duæ naturæ, divina et humana, integræ, inconfusæ, impermixtæ ac suis proprietatibus præditæ in se permanentes, subsistunt in una divini Verbi persona.

Proindeque planum est duarum hujusmodi natura-

rum conjunctionem immediate factam esse in una persona, adeo ut hæc unica substantia, seu personalitas, has duas regat naturas. Idcirco conjunctio hæc est hypostatica, non vero accidentalis, seu moralis, vel externa, ut autumat Nestorius. Et si hypostatica conjunctio in una eademque subsistentia, patet non duas, uti somniat ipsemet Nestorius, esse personas, sed est una tantum.

30. Et re quidem vera, Apost. Paulus ad Phil., 2, 6 et seqq., ita de Christo scribit : « Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo : sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo. »

Jam vero ille qui in forma Dei est, scilicet Deus, ille idem exinanivit semetipsum, formam servi accipiens, nimirnm fecit se hominem ; ille qui arbitratus est se esse æqualem Deo, ille idem in similitudinem hominum factus est. Ergo eidem subjecto Christo tribuuntur attributa inter se opposita.

Atqui hujusmodi opposita attributa de eodem enunciari non possent secundum diversas ejus naturas, nisi substantialiter uniantur et coalescant in unam personam, seu suppositum ; ergo in Christo una est persona, una substantia, unum suppositum in duas naturas, divinam unam, alteramque humanam, conjunctum.

« Id quod non erat (inquit S. Greg. Nazianz., Orat. 31, de Verbo æterno loquens), assumpsit, non Deo factus, sed unum ex duobus fieri sustinens : Deus enim ambo sunt, id quod assumpsit et quod assumptum est ; naturæ duæ in unum concurrentes. »

Atqui hoc unum est persona, et persona divina. Ista enim jam existebat in Verbo, antequam Verbum ipsum naturam assumeret humanam; et hæc non poterat venire per modum partis ad constituendam personam, quæ est simplicissima.

Hinc S. Leo Magnus, Serm. 7, de Nativitate, ait : « Quod Verbum caro factum est non hoc significat quod in carnem sit Dei natura mutata, sed quod a Verbo in unitatem personæ sit caro suscepta, cujus utique nomine homo totus accipitur. »

Ergo duæ sunt in Christo naturæ in unica divina persona.

31. Ergo ratione generationis Christus est Filius Beatæ Virginis, ex qua Verbum Filius Dei hypostatico nexu sibi assumpsit et copulavit naturam humanam; ratione vero hypostaticæ unionis B. Virgo est Mater Dei in assumpta carne. Ergo Maria Virgo est, contra Nestorium, vere ac proprie dicta Deipara.

32. Ergo Christus, contra Felicem, Urgellitanum Episcopum et Archiepiscopum Toletanum, est Filius Dei naturalis, non adoptivus; nam Pater æternus est Pater naturalis Christi ratione hypostaticæ unionis, in qua natura humana subsistit, et est Pater Verbi ratione æternæ generationis.

33. Christus est perfectus Deus et perfectus homo; ergo, contra Eutychetem, duæ sunt in Christo naturæ distinctæ, inconfusæ atque impermixtæ.

34. Ergo, contra Monothelitas, luculenter apparet duas esse in Christo naturales operationes et voluntates indivisas et inconfusas.

35. Natura divina et humana sunt hypostatica

unione in una Christi persona conjunctæ: ergo in concreto admittenda est in Christo idiomatum communicatio.

36. Est natura Christi humana cum divino Verbo hypostatice conjuncta: ergo uno eodemque latriæ cultu cum Verbo divino est adoranda.

Et sic finem obtinet præsens quoque disceptatio; nam de Christi natura divina et humana, deque ejus unica divina persona disserere proposuimus; et de his mihi videtur jam satis esse disputatum. De Christi vero titulis ejusque muneribus in alia immediate subsequenti thesi locuturi sumus.

DE CHRISTI TITULIS

ATQUE MUNERIBUS.

THESIS 12ª.

De Christi vero ac proprie dicto in hac mortali vita sacerdotio.

1. Vidimus usque adhuc Christum esse verum Deum et verum hominem. Uti Deus omnibus gaudet divinis attributis; uti homo autem omnibus perfectionibus certe indubitateque fruitur : ergo ei sunt tribuenda officia, quæ ex his profluunt perfectionibus.

Jam vero est perfectio ut quis sit Caput hominum, Angelorumque; et de Christo inquit Apostolus : « Qui est Caput omnis Principatus et Potestatis; » et : « Angeli sunt administratorii Spiritus. »

Titulus perfectionis est, ut quis sit Propheta, sit Magister; et de Christo Sacra Eloquia hos titulos huc illuc asserunt.

Perfectio est dignitas regalis; et de Christo loquitur Luc., 1, 33 : « Regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis. »

Regia dignitas concipi non potest sine judiciaria potestate; et de Christo ait Joan., 5, 22 : « Pater..... omne judicium dedit Filio. » « Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus » (Psal.).

2. Sed præter hæc fuit hac in mortali vita vere et proprie dictus Sacerdos. Sociniani, ut possint etiam hic facilius veram debilitare doctrinam, dicunt Christum non fuisse in terris proprie ac vere Sacerdotem, ex eo quod ejus in Cruce Mors sacrificium non fuerit, sed præparatio tantummodo ad illam oblationem, quam, cum ascendisset ad Patrem, offerre debebat in cœlis. Hinc concludunt Christum esse solum in cœlis vere ac proprie dictum Sacerdotem. Sed nos etiam nunc contra istiusmodi adversarios probare conamur Christum fuisse hac in mortali vita vere ac proprie dictum Sacerdotem, insimulque vere ac realiter in terris sacrificium obtulisse, ideoque hanc propositionem proponimus :

CHRISTUS VERUM AC PROPRIE DICTUM SACERDOTIUM IN HAC MORTALI HABUIT VITA.

3. Hæc propositio de fide est; ait enim Concil. Trident., sess. 22, cap. 1 et seqq. : « Eucharistiam esse verum ac singulare sacrificium. » Si ergo verum sacrificium est Eucharistia, verus et singularis Sacerdos est ille qui eam instituit : atqui Christus illam instituit; ergo Christus est verus et realis Sacerdos.

Et sane.

4. Veri et realis sacerdotis munia sunt præcipue tria :

1° Docere, 2° sacrificium verum offerre Deo Patri, 3° Æternum Patrem pro populo interpellare.

1° Docere. Et re quidem vera, sacerdos idem est ac sacra dans : ipse dat quod accepit. Atqui accepit Dei voluntatem ejusque legem, utrarumque prædicationem : ergo et magisterium.

Quod ita res se habeat colligitur ex eventu Divi Pauli, qui, iter pergens in Damascum ex Jerosolyma, quamquam divina luce summo in gradu fuisset circumfusus, nihilominus ad Ananiam, ut edoceretur, fuit missus.

2° Verum offerre sacrificium, ut Deus Optimus Maximus nobis propitius sit peccatoribus. Atqui ubi datur verum sacrificium, datur et verus Sacerdos.

Apostolus reapse, Hebr., 5, hæc habet : « Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, et sacrificia pro peccatis. »

3° Patrem Æternum pro populo interpellare ; quia, fatente Apostolo, « et ipse circumdatus est infirmitate. »

5. Atqui hæc omnia vere ac proprie obivit Christus in hac mortali vita.

Et re quidem vera, 1° Christus Dei Patris voluntatem legemque prædicavit. Legitur enim apud Joan., c. 17 : « Ego te clarificavi super terram, opus consummavi, quod dedisti mihi ut faciam ; » et v. 6 : « Manifestavi nomen tuum hominibus. » Hinc S. Aug., Tract. 106 : « Non illud nomen tuum, quo vocaris

Deus, sed illud, quo vocaris Pater. Hoc nomen ejus prius occultum omnibus, nunc manifestavit eis, quos dedit ei Pater ipse mundo. » Ergo Christus vere docuit.

2° Vere Christus obtulit Deo Patri sacrificium. Sacrificium itaque est oblatio sensibilis, facta Deo per legitimum ministrum, cum mutatione aut destructione victimæ, ad confitendum ipsius in res cunctas dominium.

Ergo ubi non datur oblatio sensibilis, non extat mutatio aut destructio victimæ, sacrificium intelligi nequit. Atqui hæc omnia non possunt asseri de Christo, postquam in cœlis ascenderit : ergo vel Christus non obtulit sacrificium, vel hoc munus in hac mortali vita obivit. Atqui primum asserere est absurdum, remanet et secundum.

Et jure ; nam « Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis » (Apost. ad Ephes., 5, 2). Et rursus ad Hebr., 9, 14 : « Sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram. » Quamobrem S. Aug., libr. 4, de Trinitate, cap. 14, t. 8 : « Unus, inquit, ipse erat, qui offerebat, et quod offerebat ; » et libr. 10, de Civ. Dei, cap. 20 : « Sacerdos ipse Christus offerens, ipse et oblatio, cujus rei Sacramentum quotidianum esse voluit Ecclesiæ sacrificium. »

Ergo Christus vere ac proprie dictum obtulit Deo Patri sacrificium.

Quod fuisse Propitiatorium docent passim Sacræ Scripturæ ; nam docent sacrificium Christi pro ex-

piandis peccatis nostris oblatum fuisse : unde vocatur Reconciliatio, Propitiatio, Redemptio (ad Gal., 5, 4; ad Romanos, 4, 25; ad Corinth., 5, 15, 1; Petri, 2, 24).

3° Denique Christus interpellavit pro populo. Lucas, 6, 12, ait de Christo : « Exiit in montem orare, et erat pernoctans in oratione Dei. »

Atqui Christus non indigebat Altissimo preces pro se offerre, qui sanctus et impollutus erat : ergo pro hominum salute ac speciatim pro illis, qui cruciatus ei magis, magisque afferunt; ait enim in ligno crucis : « Pater, ignosce illis, nesciunt enim quid faciunt. »

Ergo Christus in hac mortali vita vere ac proprie docuit, verum ac reale obtulit sacrificium, vere ac proprie pro populo interpellavit;

Ergo Christus in hac mortali vita verum ac proprie dictum habuit sacerdotium. »

6. Hinc Angelicus Doctor ad id de Christo concludendum, in 3 p., qu. 21, art. 1, hæc peroptime scribit : « Proprie officium sacerdotis est esse mediatorem inter Deum et populum, in quantum scilicet divina populo tradit : unde dicitur sacerdos, quasi sacra dans, secundum illud Malachiæ, 11, 7 : « Legem requirent ex ore ejus, » scilicet sacerdotis; et iterum in quantum preces populi Deo offerret pro eorum peccatis, Deo aliqualiter satisfacit : unde Apostolus dicit ad Hebræos, 5, 1 : « Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis. »

Hoc autem maxime convenit Christo; nam per ipsum divina dona hominibus sunt collata, secundum il-

lud 2 Petri, 1, 4 : « Per quem, scilicet Christum, maxima et pretiosa nobis promissa donavit : ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ. » Ipse enim humanum genus Deo reconciliavit, secundum illud ad Coloss., 1, 16 : « In ipso, scilicet Christo, complacuit omnem plenitudinem inhabitare, et per eum reconciliare omnia. » Unde Christo maxime convenit esse Sacerdotem.

Quinimo Christus hac in mortali vita verum ac proprie dictum habuit sacerdotium.

7. Ast nunc quæritur : Sacerdotium Christi fuerit, nec ne, sacerdotium leviticum?

Respondeo negative. Sacerdotium enim Christi non est leviticum, sed secundum ordinem Melchisedech. Ait sane Regalis Psalmista, in Psal. 109, v. 4 : « Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. »

Quod et Apostolus Paulus clare probat toto cap. 4 Epist. ad Hebræos.

Hinc asserimus sacerdotium Melchisedech aperte Christi sacerdotium adumbrare nomine, persona et oblatione; ac proinde sacerdotium Christi secundum ordinem Melchisedech super sacerdotium Aaronicum præminentiam obtinere.

8. Et ad nomen venientes, dicimus Melchisedech in duabus suis vocibus significare Regem (Mechel), et justitiam (sedech); quod idem etiam exsurgit ex civitatis suæ nomine. Erat enim Rex Salem, quæ postea Jerusalem dicta est, et pacem sibi vult. Quibus nominibus Christus veræ justitiæ et pacis Rex exprimitur : est revera justitia ipsa in æternitate, factus est

justitia nostra in tempore. Unde Apostolus : « Christus est justificatio pro peccatis nostris. » Et Regalis Propheta : « Justitia et pax osculatæ sunt. »

Persona. Cum esset Melchisedech sacerdos Dei summi, obviavit Abrahæ redeunti a cæde Regum ac illi benedictionem impertitus est; Abrahamus interim Melchisedech obtulit decimas prædæ.

Quo posito, duo sunt consideranda in re : benedictio scilicet et datio decimarum. Hinc ratiocinari licet, qui benedicit major est illo, qui benedictionem recipit : atqui Melchisedech benedixit Abramo et in eo sacerdotio levitico; ergo sacerdotium Melchisedech est excellentius sacerdotio levitico.

Sacerdotium leviticum dat decimas Melchisedech : atqui qui dat decimas inferior illi, qui eas recipit.

Unde Apostolus ipsius Melchisedech dignitatem collegit, inquiens, cap. 7, Epist. ad Hebræos, v. 4 : « Intuemini quantus sit hic, cui et decimas dedit de præcipuis Abraham Patriarcha. »

Præterea Melchisedech sacerdos manet in æternum, non in se, sed in Christo cujus est figura. Illius enim ortus et genealogiæ nullam fecit Scriptura mentionem, et de Christo Psal. ait : « Generationem ejus quis enarrabit? »

Denique oblatione. Nam Melchisedech obtulit panem et vinum, quo præfigurabatur sacrificium, quod Christus Sacerdos obtulit in ultima cœna, donans discipulis corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini. Levitici sacerdotes e converso offerebant hircum pro rege, taurum pro sacerdote,

capream pro populo : ergo sacerdotium Christi secundum ordinem Melchisedech est multo excellentius sacerdotio levitico.

9. Nihilominus, ut in themate advertit S. Thomas, art. 6, « etiam levitarum legale sacerdotium fuit figura Christi sacerdotii, quamvis ab eo multum deficiens; tum quia sacerdotium legale non mundabat peccata, tum etiam quia non erat æternum, sicut sacerdotium Christi. »

Et re quidem vera, unus ex familia Levi, a qua leviticum sacerdotium erat præ omnibus tali decoratus auctoritate atque dignitate, ut illi tantum datum esset in sancta Sanctorum, sanguine victimarum asperso, semel in anno penetrare; et iste summus Sacerdos verum realeque sacrificium offerebat.

Jam vero summus hic leviticus Pontifex nonnisi Christum præfigurabat, ejusque verum ac reale sacrificium.

Ait sane Apostolus, in Epist. cit. ad Hebræos, cap. 9, 11 : « Christus autem assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius et perfectius tabernaculum non manufactum..... neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem, introivit semel in Sancta, æterna redemptione inventa. Si enim sanguis hircorum et taurorum, et cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis : quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi ? »

Unde vides his verbis Apostolum comparationem

instituere inter Pontificem veteris legis et Pontificem novæ legis, et ait, eo modo quo ille per singulos annos immaculato sacrificio legali in Sancta Sanctorum ingrediebatur, ad offerendum effusum victimarum sanguinem, quas immolaverat; ita hic, id est Christus, immolato vitæ suæ sacrificio in Cruce, ingressus est cœlum, ad offerendum sanguinem in Cruce effusum : ergo sacerdotium veteris legis, nempe leviticum, erat figura sacerdotii novæ legis, id est Christi.

Atqui sacerdos leviticus in immolatione illa victimarum offerebat verum ac reale sacrificium : ergo a fortiori Christus in immolatione vitæ suæ verum ac reale sacrificium offerebat.

Atqui Christus morte sua cruenta hoc præcipuum sacerdotii munus obivit in mortali sua vita, antequam scilicet ingrederetur ad sanguinem suum offerendum in cœlum : ergo somniant Sociniani, dum contendunt Christum non fuisse in terris verum Sacerdotem, ejusque mortem non fuisse nisi præparatoriam oblationem ac tantum post suam in cœlum ascensionem vere Sacerdotem esse constitutum.

10. Christus reapse, fatente eodem Apostolo, loc. cit., v. 24, « semel se obtulit in consummatione sæculorum. »

Ergo unicum fuit Christi in Cruce sacrificium : in cœlis e converso jugiter seipsum offert.

Christus passus est : oportebat eum frequenter pati ab origine mundi. Atqui pœnis solum in terris obnoxius erat.

Christus per hostiam suam apparuit : ergo eo

loco quo nostrum erat illum videre; ergo in terris.

Christus denique oblatione sua multorum peccata delevit. Atqui, fatente Petro, Ep. 1, cap. 2, 24, cum mortem in Cruce subierit, hoc præstitit : ergo Christus fuit in terris verus et realis Sacerdos; ergo vera extrema, quæ unicuique vero Sacerdoti sunt propria, hac in mortali vita obivit Divinus Magister; ergo Christus fuit Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, ejusque sacerdotium fuit excellentius sacerdotio levitico. Nihilominus istud leviticum fuit quoque figura sacerdotii Christi.

11. Et nunc veniant adversarii et dicant Christum suum tunc exercuisse in primis sacerdotium, cum Mosaica sacrificia erant abolita, id est in ingressione ad cœlum. Sed hoc frustra; nam jure Mosaica sacrificia abolita sunt in consummatione Agni, id est in Cruce : ergo in terris.

Apostolus insuper Paulus in illis verbis : « Filius meus es tu, ego hodie genui te, » docet Christum factum esse Sacerdotem ab eo qui illa emisit verba, sed non significat tempus quando ei dicta sunt : ergo nostra propositio in sua firmitate remanet.

12. Hic tamen solet disputari utrum Christus sit Sacerdos prout Deus vel prout homo?

Huic quæstioni diversimode reponitur. Ariani asserunt Christum fuisse Sacerdotem uti Deum, Nestoriani ut hominem. Nos autem Catholici dicimus Christum fuisse Sacerdotem secundum humanam naturam, non tamen præscindendo a supposito divino, in quo subsistebat. Et sane actiones, ut aiunt Philosophi, sunt suppositorum : unde Christus, ut homo, Sacerdos fuit hypostatice cum divinitate conjunctus.

Et Hostia sacerdotis fuit ipsemet Christus, juxta illud Apostoli ad Ephes., 5, 2 : « Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem, et hostiam in odorem suavitatis. »

Hinc S. Aug., lib. 4 de Trinitate, cap. 14, tom. 8 : « Unus, inquit, ipse erat, qui offerebat, et quod offerebat. » Et lib. 10 de Civitate Dei, cap. 20 : « Sacerdos ipse Christus offerens, ipse et oblatio, cujus rei Sacramentum quotidianum esse voluit Ecclesiæ sacrificium. »

13. Nunc quæritur quænam sint effectus hujus sacratissimæ Hostiæ immolatæ?

Christus, fatente Isaia, c. 53, « dolores ac peccata hominum sibi imposuit. » Fatente Petro, Epist. 1, c. 2, v. 44 : « In suo corpore peccata nostra pertulit super lignum. » Fatente Paulo, 2 Corinth., c. 5, 21 : « Sua qui non noverat peccata, pro nobis peccatum fecit. »

Et curnam hæc omnia? « Ut peccatis mortui, ait Petrus, loco citato, justitiæ vivamus. » « Ut nos efficeremur, inquit Paulus, loc. cit., justitia Dei in ipso. » « Dedit semetipsum, scribit idem Paulus ad Tit., 2, 14, pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate. » Ergo primus et summus divinæ hujus Hostiæ a Christo immolatæ effectus fuit nostra a dæmonis captivitate liberatio, fuit nostrorum peccatorum expiatio.

Duo tamen in nostris peccatis distinguenda sunt una cum Angelico Doctore, 3 p., quæst. 22, art. 3, scilicet maculam culpæ et reatum pœnæ. « Macula quidem culpæ, inquit S. Doctor, deletur per gratiam,

qua cor peccatoris convertitur in Deum; reatus autem pœnæ totaliter tollitur per hoc, quod homo Deo satisfacit. » Utrumque autem horum efficit sacerdotium Christi; nam virtute ipsius gratia nobis datur, qua corda nostra convertuntur ad Deum.

14. Præter hoc, Christus est ille, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus (Apost. 1 Timoth., cap. 2, v. 6) : « Ille Christus, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit. » Ergo totus hujus sanctissimæ oblationis fructus nobis solis est applicandus. Ait enim idem Paulus de Christo, Hebr., 7, v. 27 : « Qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi. »

15. Tertius denique fructus hujus divinæ Hostiæ immolatæ est Christi ad Deum mediatio. Ait in themate S. August., Confess., lib. 10 : « Mediator inter Deum et homines oportebat ut haberet aliquid simile Deo, aliquid simile hominibus, ne in utroque hominibus similis longe esset a Deo, aut in utroque Deo similis longe esset ab hominibus, atque ita mediator non esset. »

Et de eodem Christo jam dixerat Apostolus, 1 Timoth., 2, 5-6 : « Unus Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus. » Et hujusmodi sunt præcipui Verbi Incarnationis et divinæ Hostiæ incarnatæ oblationis effectus.

16. Et sic etiam satis est de hac disceptatione; jam enim breviter pertigimus fere omnes Christi titulos, ejusque munera ac prolixius disseruimus de ejus sa-

cerdotio. Illud sane contra Socinianos vindicavimus verum ac proprie dictum, atque in hac mortali vita perfectum fuisse conclusimus secundum ordinem Melchisedech, non quidem secundum ordinem leviticum; hoc nihilominus figuram esse Christi sacerdotii. Quæ omnia proposuimus ostendere. Et insimul de magno pietatis Mysterio adversus cujuslibet generis hæreticos hactenus.

DE CULTU SANCTORUM.

THESIS 13ª.

Pius et ab omni idololatriæ labe immunis est religiosus Sanctorum cultus, pius Sanctorum reliquiarum honor, sacrarum imaginum licitus ac pius usus et veneratio.

---

1. Colligentes in unum, quod usque adhuc nostro in instituto disputavimus, manifestum est nos præ cæteris locutos esse de Deo Uno et Trino, de Deo Creatore, de divinis supremi Entis attributis, de Unigenito Incarnato, de Christi meritis et titulis, de Angelis et Sanctis, de Angelorum virtute, de beatitudine Sanctorum atque potentia apud Deum.

Et hæc omnia illa, quæ nostræ capacitatis par erat pertractavimus reverentia, hanc diversimode judicantes pro diversitate excellentiæ in honorato.

2. Atqui in hac reverentia nimirum consistit cultus. Definitur enim ab Angelico Doctore, 1, 2,

quæst. 2, art. 2 : « Signum et testimonium quoddam illius excellentiæ in honorato. »

Unde si agatur de Ente Supremo, de Deo, quum ejus excellentia sit summa et absoluta, cultus qui ei unice habetur, supremus et absolutus vocatur, dictus a Theologis Latriæ.

Sin vero de creaturis sermo sit, id est de Angelis et Sanctis, cultus eorum, qui dicitur duliæ, in ordine ad Deum est nonnisi relativus.

In ordine vero ad illos dupliciter spectari potest : uti absolutus et uti relativus.

Et absolutus, si sistat in ipsis Angelis et Sanctis, qui licet participatam excellentiam, tamen reipsa habent ob quam coluntur.

Et relativus, si non sistat in ipsa re, utpote nullam admittente excellentiam, uti reliquiis et imaginibus, quibus adeo tribuitur honor, ut ad objectum cujus sunt referatur.

Quod si quis admittatur gradus cultui duliæ, superior tunc locum obtinet cultus hyperduliæ B. Virgini debitæ, quia hæc præ omnibus excellit creaturis.

Nihilominus in eo consistit ut homines se invicem honorent.

De adoratione denique civili et politica nobis hic sermo non est.

Cultus ille triplex insuper : vel est interior, vel exterior, prout vel solo animo aut corporis significatione probetur.

3. Hinc quod Deo Optimo Maximo supremus et absolutus debeatur cultus, sive internus, sive externus, sine ulla hæsitatione asserimus potius quam de

illo disseramus, actus adorationis humiliter emittentes, ejus misericordiam atque bonitatem, poplite submisso, precamur.

4. Quod cultus latriæ Verbo Incarnato tribui debeat, ita ut una eademque adoratione adoranda sit divinitas Christi et ejus humanitas, contra Apollinaristas, Eutychianos, Nestorianos, Wicleffitas et Socinianos facile eruitur ex Scriptura, Traditione et ratione.

Legitur porro apud Apost. Paulum, Hebr., 1, 6 : « Et cum iterum introducit Primogenitum in orbem terræ, dicit : Et adorent eum omnes Angeli Dei. » Ergo ex Apostolo deferendus est supremus cultus Filio Dei Primogenito. Atqui hic Primogenitus est Christus : ergo ex eodem Apostolo adoranda est divinitas Christi et ejus humanitas.

Quod et ex Joan., 9, 38, et ex Matth., 28, evincitur.

Idem quoque ostendit Traditio, cujus inter testimonia innumera solum Joan. Damascenum proferemus, qui, libr. 3 de Fide orthodox., cap. 8: « Unus, inquit, est Christus, Deus perfectus et homo perfectus, cui unam eamdemque adorationem cum Patre et Spiritu, non exclusa immaculata ejus carne, adhibemus. Neque enim adorandam esse carnem ejus negamus; quippe quæ adoratur in una Verbi persona, quæ quidem ipsi persona et hypostasis facta est. Qua in re non creaturæ servimus; non enim illam ceu nudam carnem adoramus, sed veluti divinitati unitam. »

Proinde contrarium proscriptum fuit in Concil. Generali V, can. 4.

Et jure; nam duæ in Christo naturæ sunt hypostatice conjunctæ in una divina persona: hinc terminus adorationis est persona, exinde fit ut nos adoremus Verbum cum carne sua.

Ergo una eademque adoratione latriæ cultus adoranda est divinitas Christi et ejus humanitas. Et hoc est planum.

5. Sed hic quæritur an cultus religiosus Sanctorum sit pius et immunis ab omni labe idololatriæ?

Illa vetus Manichæorum secta, veluti superstitiosum Angelis et Sanctis cultum renunciarunt, ideoque rejiciendum; sed Hieronymus et Augustinus, Sancti Doctores, illos suis cum argumentis disjecere, ac in pulverem cecidit eorum impia doctrina.

Quam non minus impie excitarunt Protestantes ac Increduli omnes, qui non cessarunt neque cessant ad ignarum suorum gregalium vulgum putidæ idololatriæ Catholicos accusare: Lutherus nimirum, Calvinus, Hieronymus Zanchius, Petr. Molinæus, Joan. Dallæus aliique horum sectatores, qui nihil nostram considerantes distinctionem cultus latriæ ac duliæ, asserunt nos illum honorem soli Deo debitum hominibus tribuere, proindeque Sanctorum cultum idololatriam vocant. Sed frustra id contendunt, et contra hos omnes hanc ponimus propositionem:

PIUS ET AB OMNI IDOLOLATRIÆ LABE IMMUNIS EST ANGELORUM, SANCTORUMQUE CULTUS.

6. Et re quidem vera, veteres plurimi, quorum mentio fit in Scripturis, Angelos adoraverunt, neque idcirco sunt reprehensi.

Legitur sane, Num., 22 : « Vidit Balaam Angelum stantem in via, evaginato gladio, adoravitque eum pronus in terram. » Atqui Balaam cognovit Angelum, et post hanc cognitionem adoravit eum, et non mera adoratione civili, uti planum est, sed religiosa : numquam tamen legitur Balaam in hoc fuisse a Domino reprehensum.

Ergo licitus est Angelorum cultus religiosus.

In cap. 5, Josue narratur quum hic vidisset virum stantem, nudato gladio, dixisse : « Noster es, an adversariorum? Qui respondit : Nequaquam, sed sum princeps exercitus Domini ; et continuo Josue, procidens in terram et adorans, ait, etc. » Josue igitur cognovit Angelum, adoravit illum, et tamen reprehensus a Deo non fuit : ergo licitus Angelorum cultus.

Abraham, Genes., 18, 2 : « Videns tres Angelos, pronus eos adoravit in terram. » Atqui Abraham fuit maximus Patriarcha et acceptus Deo ; sed talis non esset, si idololatriæ indulsisset.

Loth, Genes., 19, 1, idem tribus Angelis præstitit ; et Loth fuit a Deo sanctus, impollutus renunciatus :

Ergo licitus cultus Angelorum.

Et hic licitus cultus, ut jam innuimus, fuit cultus religiosus, non civilis. Patriarchæ enim Angelos adorabant non ut cives, sed ut a Deo Missos, ejusque administratorios Spiritus.

7. Atqui hoc licitum fuit Patriarchis, aliisque ex veteribus Prophetis : ergo nobis nunc licitum est simili adoratione Beatos in cœlis colere.

Illi enim Angelos adorabant, nihil ipsis tribuentes, quod esset Dei proprium, aut Angelorum adversaretur

naturæ. Nos pariter Beatos in cœlis colimus, nullum illis tribuendo, quod sit Dei proprium, nullum, quod eorum contrarium sit naturæ : ergo licitus est Sanctorum cultus religiosus.

8. Eo modo insuper quo veteres nostri Patres quibusdam eximiæ sanctitatis viris religiosam exhibuere adorationem, Abias, vir timens Deum, ut vidit et cognovit Eliam prophetam, « cecidit super faciem suam » (libr. 3 Regum, 18). Filii Prophetarum obviantes Elisæo, adoraverunt eum, proni in terram (libr. 4 Regum, 2, 15). Et curnam id fecit Abias? Ut veneraretur Eliam veluti sanctum : ergo cultu religioso, non civili.

Curnam id filii Prophetarum fecere? Quia miraculo Elisæus aquas Jordanis divisit : ergo cultu religioso illum coluere, non civili. Et tamen nec Abias, nec filii Prophetarum a Domino reprehensi unquam fuere.

9. Atqui si licitum fuit cultum duliæ Sanctis adhuc in terris degentibus tribuere, curnam esset idololatricum eosdem adorare in cœlum regnantes?

Ergo licitus est in cœlis cultus religiosus Sanctorum, adeoque ab omni idololatriæ labe immunis.

10. Sed hic cultus eritne pius?

Absque ulla hæsitatione illum cultum pium renunciamus. Et sane defertur respectu ad Deum : ergo est pius ; honoratur Deus in Sanctis suis propter ipsum : ergo est pius; colitur per eum excellentia virtutum in Sanctis : ergo est pius.

11. Hinc uti idololatriæ labe immunis et uti pius hujusmodi religiosus Sanctorum cultus semper habitus sit, probatur a vetustissima et sana traditione,

insimulque ab Ecclesia, quæ religioso cultu semper consuevit memoriam Sanctorum solemniter celebrare.

In Const. Apostolicis profecto, libr. 8, cap. 33, dies recensentur, quibus feriandum erat famulis (id est Martyribus). Ex quo festorum institutio atque celebratio in Sanctorum honorem.

Ecclesia Smyrnensis, in Epist. Encyclica de Martyrio S. Polycarpi, dicit natalem ejusdem Martyris diem cum hilaritate et gaudio fuisse celebratum.

Justinus Martyr, Apolog. 2, scribit : « Nos Deum Patrem et ejus Filium et bonorum Angelorum exercitum..... colimus et adoramus, verboque et re veneramur. »

Idem S. Cyprian., Epist. 5; idem S. Athanasius, in libr. de Virginitate; idem S. Ambrosius, Serm. 6 : « Quisquis honorat Martyres, honorat et Christum, et qui spernit Sanctos, spernit et Dominum. »

Indubia insuper monumenta ostendunt primis Ecclesiæ sæculis oblata fuisse sacrificia Deo in Martyrum solemniis, in ipsorum honorem.

Tertullianus, in libr. de Corona, c. 3 : « Oblationes, inquit, pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus. » Idem S. Cyprianus, Epist. 34, scribit.

Et Eusebius Cæsariensis, libr. 4 de Vita Constantini, asserit templum Constantinopolitanum fuisse ab Imperatore extructum memoria Apostolorum, et dicit « in eo templo precationes in honorem Apostolorum celebratas fuisse, eamque ædem in honorem ac memoriam Apostolici Collegii fuisse erectam et consecratam. » Ergo licitus et pius est cultus religiosus Sanctorum.

12. Ast, objicies cum Scripturis, quæ cultum Sanctorum improbant, veluti Decalogi præcepto contrarium (Deuter., 6, 13).· « Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies » (Tim., 1, 17; Isaias, 42, 8).

Sed ex præmissis unica distinctione has resolvimus difficultates, vel alias ex aliis Sacrarum Litterarum testimoniis desumptas. Nimirum Sacra Eloquia inibi loqui de cultu latriæ, soli Deo debito, concedimus; et nos jam antea id monuimus : illa prohibere Sanctis tribui cultum duliæ, negamus.

13. Sed instas, Apostolus Joannes, volens Angelum adorare, Angelus ille recusavit sibi oblatum honorem, dicens : « Vide ne feceris, conservus tuus sum..... Deum adora » (Apocalyps., 19, 10).

Quam oppositionem peroptime solvit S. Aug., libr. 1, Quæst. in Pentateuchum, q. 72, tom. 3, aiens : « Quod talis apparuerat Angelus, ut pro Deo posset adorari; et ideo fuit corrigendus adorator. » Et sic respondes de Synodo Laodicea, quæ, in can. 35, non damnat Angelorum Sanctorumque legitimum cultum, sed superstitiosum.

Et sic dices etiam de Patribus, qui vel rejiciunt cultum Angelis et Sanctis veluti Diis tributum, vel significant non esse colendos Sanctos in sensu quo Ethnici hanc vocem usurpant, sed in sensu quo usi sunt Catholici.

Et si Ecclesiæ Patribus ignota fuerunt illa vocabula latriæ atque duliæ, non quidem his ignota fuit res significata. Ergo cultus religiosus Sanctorum, contra Manichæos, Lutheranos, aliosque Protestantes est licitus atque pius.

14. Et si licitum est ac pium ipsis Aulicis vel orationibus, vel sepulchris, vel simulacris hominum de civili republica bene meritorum, vel de re litteraria memoriam honorare; cur illicitum esset Christianis virtutum excellentiam in Sanctis religionis causa colere? Cur illis licitum esset Proceres atque Principes submisse venerari, fidelibus vero illicitum Sanctis suis propter Deum honores tribuere?

15. Nec tantum licitus est atque pius cultus hujusmodi Sanctorum, sed insuper utilis ac licita est eorum invocatio. Ait igitur Conc. Trid., sess. 25 : « Sanctos una cum Christo regnantes, orationes suas pro hominibus Deo offerre, bonum atque utile esse suppliciter eos invocare; et ob beneficia impetranda a Deo per Filium ejus Jesum Christum, Dominum nostrum, qui solus noster Redemptor et Salvator est, ad eorum orationes, opem, auxiliumque confugere. »

16. Sed nunc disputandum est utrum Sanctorum reliquiæ et monumenta utiliter ac pie a fidelibus honorentur?

Vigilantius Hæresiarcha cultum et venerationem sacrarum reliquiarum primus contemnere visus est, ita ut non dubitaverit Orthodoxos vocare Idololatras et Cinerarios, ex eo quod Martyrum cineres adorarent. Hoc et ejus sectatores iterum cecinere. Sed incassum id adversarii contendunt; nam Conc. Trid., sess. 25, anathemate ferit affirmantes Sanctorum reliquiis venerationem atque honorem non deberi, vel eas aliaque sacra monumenta a fidelibus inutiliter honorari, atque eorum opis impetrandæ causa Sanctorum memorias frustra frequentari.

17. Et jure; nam Scriptura Sacra hujusmodi honoris ac venerationis vestigia non pauca exhibet, tum in Veteri, tum in N. Testamento. Indubium enim est, præter alia exempla, factum mulieris hæmorrhoissæ, ex contactu fimbriæ vestimenti Christi sanatæ. Atqui fimbria vestimenti Christi non erat Christus. Ex umbra Petri infirmi in plateis ab infirmitatibus suis liberabantur (Act., 5, 15). Atqui umbra Petri non erat Petrus.

Hinc ab Ecclesia Catholica a primordiis suæ constitutionis hujusmodi recepta est veneratio.

Magna sane fuit semper et est sollicitudo fidelium colligendi Sanctorum reliquias; super Sanctorum reliquiis erectæ fuerunt et sunt confessiones, martyria, memoriæ.

Maxima fuit et est sollicitudo fidelium in secernendis Sanctorum Martyrum exuviis a reliquorum ossibus fidelium. Et eo modo veteres fidei Christianæ cultores in cryptis ac cæmeteriis in Martyrum honorem sacrificia libabant; nunc fideles eorum in tumulis obsequenter peragunt sacra.

18. Hinc optime in themate loquitur S. Doctor Angelicus his in verbis : « Manifestum quod Sanctos Dei in veneratione habere debemus, tanquam membra Christi, Dei filios et amicos et nostros intercessores : igitur et eorum reliquias qualescumque honore congruo in eorum memoriam venerari debemus, et præcipue eorum corpora, quæ fuerunt templa et organa Spiritus Sancti, in eis habitantis et operantis, et sunt corpori Christi configuranda per gloriosam resurrectionem. Unde et ipse Deus hujusmodi reliquias

convenienter honorat, in earum præsentia miracula faciendo. »

Quod etiam luculenter asserit B. Hieronymus, in lib. contra Vigilantium, ac Ecclesiis usum Sanctos eorumque reliquias venerandi commendat. Hinc, in Epist. 109, ad Riperium, inquiebat : « Reliquias Martyrum, ut eum cujus sunt Martyres adoremus : honoramus servos, ut honor servorum redundet ad Dominum. »

Et merito; nam eum quem bona æstimatione complectimur non modo ipsum colimus, sed etiam quæ ad illum, cum vitam duceret pertinebant, summo in pretio comparamus.

Ergo Sanctorum reliquias et monumenta utiliter ac pie a fidelibus honorari luculenter apparet ex Scriptura, ex Traditione, ex ratione; proinde propositio ad fidem spectat.

19. Sed non disquisitionem aggredimur, quam ad resolvendam non modo documentis ex Scriptura depromptis, sed etiam ex historia assumptis, utique oportet ut nos utamur; hic est enim lapis offensionis inter Ecclesiam Catholicam et adversarios.

En igitur quæstio :

« Sacrarum imaginum usus ac veneratio estne licitus ac pius? »

Novatores in themate tam indigne ferunt hoc Romanæ Communionis doctrinæ caput, ut nos dicant in ea re ludibrio esse ipsis Judæis, qui Christianorum templa vocant domos turpitudinis, propter idololatriam, quam in ipsis exerceri censent.

Muhummedani, præter quam quod nullam cognos-

cant imaginem, non erubescunt nostros sacerdotes vocare Idololatras, ex eo quod ante imagines procidunt. (August. Thuanus, lib. 43 Historiarum; Hugo Lynschotensis, in Itiner. Indico, lib. 1, cap. 24.)

Gentilium Sapientes improbarunt imagines. Tacitus, in Annal., et S. August., lib. 4 de Civitate Dei, c. 19, ex Varrone refert Romanos per annos plusquam 170 deos sine simulacris coluisse.

Post annum 700 vulgaris ætatis sacris imaginibus in Ecclesia bellum indictum fuit; ideoque hoc dogma constitutum visum est nefas esse imagines colere.

Et Leo Isauricus, Constantinopolitanus Imperator, edixit sub pœna capitis imagines a templis deleri : unde dictus fuit Iconomachus. Filius tanti parentis, Constantinus Copronymus, illius impietatem consectari non dubitavit.

Error hujusmodi post ann. 800 tantisper conquievit, sed Leo Armenus in Oriente illum denuo excitavit. Tunc in Occidente primus contra imagines signum dedit Claudius, Episcopus Taurinensis, quos denique secuti sunt Protestantes.

Hinc est imaginum adversariis, qui usum et earum cultum rejiciunt proindeque eas destruunt, Iconoclastæ nuncupantur; qui vero usum et ornatum retinent in templis, attamen venerationem omnem abjiciunt, Iconomachi vocantur.

Contra hos omnes, quidquid impii contrarium sentiant, nos hanc propositionem statuimus :

SACRARUM IMAGINUM USUS AC VENERATIO LICITUS AC PIUS EST.

20. Et probo. Ille dicendus est licitus ac pius usus, qui nusquam prohibitus est: atqui usus sacrarum imaginum nusquam prohibitus est.

Et sane lex naturalis imagines depingi non vetat, dummodo nullum inferatur damnum religioni neque societati.

Usum sacrarum imaginum Scripturæ Sacræ non modo non prohibent, quinimo illum præcipiunt. Exod. profecto, 25, 18-19, Deus Moysem jussit duos Cherubim extruere in utroque arcæ latere collocandos, dicens: « Duos quoque Cherubim aureos et productiles facies, ex utraque parte oraculi. Cherubim unus sit in latere uno, et alter in altero. » Idem Numer., 21, 8, de serpente æneo, qui Christi typus et imago esse deberet (Joan., 3, 14). Ex antiquis historiis luculenter eruitur templa sacris imaginibus fuisse ornata. Tertullianus, de Pudicitia, testatur calicibus insculptum fuisse Christum in forma Pastoris, ovem humeris gestantis.

Constantinum in loco baptismi sui posuisse agnum ex auro purissimo, ad dexteram vero statuam Christi argenteam, ad lævam S. Joannis Baptistæ, testatur Damasus Papa, in Vita Constantini.

In Ecclesia Lateranensi, multas imagines Salvatori, Apostolis, Angelis positas fuisse ex historiis constat.

Ergo de usu licito et pio sacrarum imaginum nulla quæstio.

Nec thesi læditur nostræ, si Concilio Eliberitano placuit picturas in Ecclesia non debere esse, ne quod colitur et adoratur in parietibus depingatur; nam, uti censet Bellarminus, de Imaginibus Sanctorum,

cap. 9, Eliberitanos Patres, utpote in Concil. Provinciali coactos, et in hac et in aliis rebus errasse indubium est.

21. Quid dicendum de earum veneratione? Et reponimus licitum est Sanctos ipsos adorare.

Ergo et eorum imagines, quarum cultus respectivus est ad eosdem.

Et sane planum est in V. Testamento arcam fuisse symbolum præsentiæ Dei. Atqui eam coluere Hebræi (Josue, 7, 5; Psal. 98, 5; 1 Paralip., 28, 2); et tamen a Deo reprehensi non sunt veluti superstitionis et idololatriæ rei : ergo licita ac pia sacrarum imaginum veneratio.

Præterea plurima miracula Deus dignatus est per sacras imagines edere (in act. Synod. VII, act. 5 et 6) : ergo Deus cultum hujusmodi sua divina auctoritate sancivit.

Hoc dogma constituit Synodus VII Generalis, quæ est 2a Nicena, Synodus VIII in Concilio Rom., sub Gregorio III fuit confirmatum.

Et Concilium Trid. ait, sess. 25 (de Imaginibus) : « In templis habendas esse et retinendas, eisque debitus honor ac veneratio impertienda. Non quod credatur inesse aliqua in his divinitas, vel virtus, propter quam sint colendæ; vel quod ab eis sit aliquod petendum; vel quod fiducia in imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat a gentibus, quæ in idolis spem suam collocabant; sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant : ita ut per imagines quas osculamur, et coram quibus caput aperimus et procumbimus, Christum

adoremus, et Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur. »

Ergo licitus et pius est sacrarum imaginum usus et veneratio; et si de omnibus aliis hoc concluditur, multo melius dicendum est de cultu quem Catholici Cruci Dominicæ ejusque imagini deferunt, tum denique de usu Crucis signi.

APPENDIX.

DE CULTU ET INVOCATIONE BEATISSIMÆ DEI GENITRICIS MARIÆ.

22. Exhibet sine ulla dubitatione super omnes Sanctos Beatissima Virgo et Genitrix Maria, eximiam excellentiam. Ergo ei competit cultus duliæ superior; ergo hyperduliæ. Et re quidem vera, Patres et Ecclesiæ Doctores, insimul gravi scientia præditi et insigni decorati sanctitate, ita de hac veritate persuasionem habuere, ut neque parumper dubitaverint suis in scriptis huc illuc recitare.

S. Irenæus profecto, libr. 5, cap. 19, antithesim instituens inter Evam et Mariam: « Per illam, dicit, adstrictum esse morti genus humanum, per Mariæ obedientiam virginalem solutum esse. »

Unde S. Ephrem Syrus, in Sermone de ejusdem laudibus, exclamat: « Sub tuum præsidium confugimus, o Sancta Dei Genitrix, sub alis pietatis atque misericordiæ tuæ protege et custodi nos. »

Et ne nimii simus, præ cæteris aliis proferemus S. Bernardum, qui, in Homilia 2ª super Missus est, ita

de cultu et invocatione Mariæ locutus est, ut nil magis verum, nil magis dulce atque suave inveniri possit : « Quisquis te intelligis in hujus sæculi profluvio..... ne avertas oculo a fulgore hujus sideris, si non vis obrui procellis. Si insurgant venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum, respice stellam, voca Mariam. Si jactaris superbiæ undis..... respice stellam, voca Mariam..... In periculis, in angustiis, in rebus dubiis, Mariam cogita, Mariam invoca..... Ipsam sequens, non devias; ipsam rogans, non desperas; ipsam cogitans, non erras; ipsa tenente, non corruis; ipsa protegente, non metuis..... et sic in temetipso experiris quam merito dictum sit : Et nomen Virginis Maria. »

23. Nos igitur oculos ad hujusmodi convertentes stellam, respicientes Mariam, petentes cum fiducia thronum ejus, illam in rebus nostris semper invocantes, hanc concludimus disceptationem aliisque eodem auspicio initium damus.

Diximus enim de cultu religioso Sanctorum, de eorum reliquiarum honore ac denique de pio usu et Sanctorum imaginum veneratione. Quæ omnia erant demonstranda.

DE GRATIA.

I

DE GRATIÆ ACTUALIS NECESSITATE.

THESIS 14ª.

Utrum ad omnes et singulos actus salutares necessaria sit interior Spiritus Sancti gratia illustrationis et inspirationis?

1. Diximus de Incarnatione : atqui præcipuus ejus fructus est Gratia, per quem (id est per Christum, Gratiæ auctorem) maxima et pretiosa nobis promissa donavit : ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ (2 Petri, cap. 1). Ergo nunc disserendum de Gratia.

2. Nomine autem Gratiæ venit quodcumque munus sive internum, sive externum, quod Deus pro liberalitate sua homini confert.

Munus hujusmodi respicit perfectiones vel naturales, vel morales.

Primo in ordine recensentur creatio præsertim et conservatio.

Altero in ordine numerantur revelatio, prophetiæ, miracula, illustrationes internæ, charitas Dei, omnes denique illæ res, quæ ad vitam beatam hominem conducunt. Nos de hoc secundo ordine locuturi sumus, et sic Gratiam dividimus :

3. Gratia Christi est vel Exterior, vel Interior.

Exterior, nempe institutio Sacramentorum, prædicatio verbi divini, etc.

Interior, id est Fides, Spes, Charitas.

Interior est vel gratis data, vel gratum faciens; et prima, quatenus datur ad aliorum salutem, e. g. donum miraculorum.

Secunda vero, quæ ordinatur ad salutem accipientis, scilicet fides, charitas, etc.

Gratia gratum faciens est vel actualis, vel habitualis : loquentes in alia disceptatione de hac, de illa in præsenti sermonem agimus.

Gratia itaque actualis dicitur donum Dei, internum ac supernaturale creaturæ rationali per Christi merita concessum, ad actus salutares eliciendos, aut etiam meritorios vitæ æternæ.

Vel, uti loquitur S. Thomas, 1, 2, quæst. 110, art. 2 : « Est quidam effectus gratuitæ Dei voluntatis, quo anima hominis movetur a Deo ad aliquod (bonum

pium ac salutare) cognoscendum, vel volendum, vel agendum. »

Est insuper vel præveniens, sive excitans, quatenus, juxta Divum Augustinum, omne meritum prævenit; vel est cooperans, seu concomitans, quatenus supernaturaliter concurrit ad illud opus, ad quod per gratiam prævenientem excitamur.

Gratia igitur præveniens afficit immediate intellectum, mediate autem voluntatem, gratia vero cooperans immédiate afficit voluntatem : unde S. August., lib. 4, ad Bonifac. : « Gratia est inspiratio dilectionis, ut cognita sancto amore faciamus. »

Quæ gratia præveniens seu excitans, dividitur in efficacem et sufficientem.

Et gratia sufficiens dispertitur in proxime et remote sufficientem.

4. Tres ergo sunt præcipuæ tractationes, quæ in re disputari debent :

In prima scilicet loquendum est de necessitate gratiæ actualis;

In secunda de gratia efficaci et sufficienti;

In tertia de gratia habituali seu sanctificante.

Quæ omnia breviter complectimur in tribus relativis disceptationibus.

Loquentes ideo in præsenti de prima quæstione, fuse disseremus de gratiæ interioris actualis necessitate ad singulos actus salutares; deinde veluti per corollaria huic illas reducimus propositiones, quæ sive directe, sive indirecte ei referuntur.

5. Ita igitur proponitur quæstio :

« Utrum ad omnes et singulos actus salutares ne-

cessaria sit interior Spiritus Sancti gratia illustrationis et inspirationis? »

Hæretici omnes, quibus in deliciis est Catholicam doctrinam quoad gratiam controvertere, sub duplici categoria recenseri possunt : uni profecto per defectum circa gratiam peccarunt, alteri per excessum, prout utrumque vulgus ignarum pro diversis placitis, quibus circa Protoparentum statum ac lapsum adhæserint, suam sententiam in re protuentur.

Ad primam classem itaque pertinent Pelagiani, Sociniani ac Semipelagiani, quorum hæc sunt systemata :

Pelagiani in primis negarunt Protoparentes per Justitiam originalem ad ordinem supernaturalem elatos esse. Ergo homo, secundum Pelagium ejusque sectatores, nihil amisit ex lapsu; ergo non erat instaurandum, quod perditum non erat; ergo homo viribus arbitrii sui omnes perfectiones assequi potest, quamvis supernaturales; ergo non est illi necessaria interior Spiritus Sancti gratia ad omnes et singulos actus salutares.

Sociniani ad eamdem veniunt conclusionem, eo quod cum Rationalistis et Incredulis autumarunt primum hominem fuisse typum idealis perfectionis, et Christum nihil aliud esse nisi typum longe perfectiorem, non autem Verbum Incarnatum.

Semipelagiani admiserunt in Adam donum Elevationis et Integritatis, proindeque per lapsum harum amissionem; sed nimis arbitrii viribus tribuerunt, et pro ipsis initium salutis est liberum arbitrium hominis.

6. Ad secundam classem spectant Novatores sæc. XVI, qui, contendentes Justitiam originalem esse Protoparentibus essentialiter debitam, asserunt per Adami lapsum universum genus humanum in essentialibus vulneratum esse : unde extinctum liberum arbitrium. Hinc, juxta hos hæreticos, omnia opera sine gratia elicita sunt totidem peccata, et sic deinceps.

7. Nos vero Ecclesiæ Catholicæ sacra premeutes vestigia, jam ostendimus hominem in Paradiso voluptatis fuisse in Justitia originali constitutum, quam tamen non fuisse ei debitam ac per divini mandati transgressionem illam amisisse; sed ex qua amissione non esse in essentialibus vulneratum, sed potius commutatum in deterius quoad animum et corpus, et imbecillitati illi obnoxium, quam per se postulat humanæ naturæ conditio : proindeque non posse suis tantum viribus ad supernaturalem statum pervenire, etiamsi libere assentiendo posset, Deo excitanti atque vocanti, cooperare. Hinc contra omnes relatos adversarios, præsertim directe contra Pelagianos sic, more solito, statuimus propositionem :

AD OMNES ET SINGULOS ACTUS SALUTARES NECESSARIA EST INTERIOR SPIRITUS SANCTI GRATIA ILLUSTRATIONIS ET INSPIRATIONIS.

8. Et sic ad probationes gradum illico facientes, asserimus in primis inter actus salutares præcipuum esse credere ea fide, quæ ad salutem necessaria est : atqui nemo potest credere sine gratia Dei.

Et sane fides, quæ necessaria est ut salvemur, est fides in Jesum Christum, tanquam salvatorem et me-

diatorem nostrum; adeoque fides iis dogmatibus præstitam, quæ Christus revelavit. Atqui Christi dogmatibus credere non possumus, nisi de illis cogitemus; nec cogitare de iis possumus, nisi Deus nobis ea manifestet. Sed hæc manifestatio fit per revelationem ex mera Dei gratia : ergo credere in Christum ejusque in dogmatibus sine Dei gratia non possumus; ergo actus primus salutaris creaturæ rationalis, sine interiori gratia illustrationis ac inspirationis, intelligi nequit.

9. Atqui sine fide impossibile est placere Deo: ergo ad omnes et singulos actus salutares necessaria est Dei gratia.

Ita et Scripturæ constituunt. Revera Christus in Evangelio ait: « Nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit eum. » Trahit Pater ad fidem, id est ad veram religionem, voluptate æternorum bonorum, quam in cordibus nostris producit, dum eorum bonorum ideam vivide per revelationem aut internam illustrationem mentibus nostris offert.

Et Deus quomodo trahit? Ita ut nihil respectum habeat ad merita nostra. « Quis prior (ait Apost. Paul. ad Rom., c. 11) dedit illi, et retribuetur ei? Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia. » Ac tali in modo, ut sine hujusmodi gratia nec cogitare, nec velle, nec operari quidpiam possimus, quo ad salutem perveniamus. « Non quod sufficientes simus (ait Apost. Paul., 2 Corinth., 3, 5) cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. »

« Deus est (inquit idem Apost. ad Philippens., c. 2,

v. 13) qui operatur in nobis et velle, et perficere pro bona voluntate. »

Unde S. Aug., Tract. 81 in Joan., n. 3, exclamat : « Sive parum, sive multum, sine illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest. »

Atqui in actus cogitationis, fidei, voluntatis, operationis, spei et charitatis omnes et singuli comprehenduntur actus salutares : ergo ex Scriptura luculenter apparet ad omnes et singulos actus salutares necessariam esse interiorem Spiritus Sancti gratiam illustrationis et inspirationis.

10. Idem comprobat et concludit sana et non interrupta Traditio.

Sanctus Justinus M. in Dialog. cum Tryphone, n. 102, citans verba Psalm. 21, 11, ait : « Deus meus es tu, ne discedas a me, » docet in Deum, qui omnia creavit, sperare omnes debere, et ab eo solo salutem et auxilium quærere.

S. Ambros., lib. 1 de Caïn et Abel, cap. 8, ait : « Quidquid sanctum cogitaveris, Dei munus est, Dei inspiratio, Dei gratia. » Juxta id quod interpretatus est S. Aug., libr. 3, ad Quintium, cap. 4, in illis verbis Apost., Epist. 1 ad Corinth., cap. 4, v. 7 : « Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? »

« Ergo (addit S. Aug.) quod credamus, quod operemur bene, gratiæ Dei acceptum referre debemus. Quo præcipue testimonio etiam ipse convictus sum, cum similiter errarem, putans fidem, qua in Deum credimus non esse donum Dei ; sed a nobis esse in nobis, et per illam nos impetrare Dei dona, quibus

temperanter, et juste, et pie vivamus in hoc sæculo. »

Quæ verba Sanctorum Patrum nulla in re interpretatione indigent, et ne nimius sim, alia non proferam.

Ergo ex Patribus ad omnes et singulos actus salutares gratia Spiritus Sancti interior illustrationis et inspirationis requiritur.

11. Hinc jure Ecclesia Catholica sæpe in Conciliis hanc expressit veritatem, hæreticorum doctrinam directe condemnans. Ait enim Concil. Trid., sess. 6, can. 3: « Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus Sancti gratia, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet..... anathema sit. »

Idem et Concilium Arausican. II, ann. 519, can. 7.

Ergo ex Ecclesia eadem probatur propositio.

12. Post hoc frustra adversarii asserunt hominis liberæ voluntatis esse actus fidei, spei et charitatis, qui tamen sunt actus salutares; nam nosmetipsi ultro fatemur hos actus subjici hominum libertati, nihilominus sub ordine naturali. Actus enim supernaturalis supra naturam est ac excedit eam, et tantum elici potest gratiæ prævenientis et operantis auxilio.

Et cum Apostolus Paulus in Epist. ad Romanos, c. 7, v. 18, scribit: « Velle adjacet mihi, » loquitur in ordine ad luctam cum concupiscentia, non autem in ordine ad actus salutares.

Rationalistis autem, qui dicunt Scripturam nunquam commemorare operationes gratiæ immediatas et supernaturales et multo minus earumdem necessitatem respondemus, indicantes loca perplurima, in

quibus S. Eloquia docent homines permoveri ad cognitionem Christianæ Religionis, ad perseverantiam in fide Evangelio præstandam, ad actus virtutis, ad motus pios et ad alia hujus generis; atque his considerationibus prolatis, concludimus nihil interesse, si vocabula hujusmodi non inveniantur, dum reperitur res propter illa significata.

Ergo ex Scriptura, Patribus et Ecclesia contra Pelagianos constat, ad omnes et singulos actus salutares necessariam esse interiorem Spiritus Sancti gratiam illustrationis et inspirationis.

13. Sed hic quæri potest : hæc interior gratia necessaria estne ad progressum et consummationem boni operis salutaris, vel etiam ad initium?

Et absque formidine de opposito præcise reponimus etiam ad initium.

Ait sane Apost. Paulus, 1 Corinth., 4, 7 : « Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? » Atqui si vel initium, vel progressus, vel consummatio operis boni nobis esset, jam aliquid haberemus a Deo non acceptum, et de quo proinde possemus gloriari.

Hinc S. Cyprian., lib. 3 Testimoniorum ad Quirinum, cap. 4, ap. S. Aug., de Præd. Sanct., cap. 4, inferebat in nullo nobis esse gloriandum, quoniam nostrum nihil sit.

Et S. idem Aug., in illis verbis Apostoli : « Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis, » in libr. de Prædest. Sanctorum, cap. 2, sic inquit : « Attendant hic et verba ista perpendant, qui putant ex nobis esse fidei cœptum, et ex Deo esse

fidei supplementum. Quis enim non videat prius esse cogitare, quam credere? Nullus quippe credit aliquid, nisi prius cogitaverit esse credendum. Quamvis enim raptim, quamvis celerrime credendi voluntatem quædam cogitationes antevolant, mox illa ita sequatur, ut quasi conjunctissima comitetur : necesse est tamen ut omnia, quæ creduntur, præveniente cogitatione credantur. Quamquam et ipsum credere nihil aliud est, quam cum assensione cogitare. »

Quod ergo pertinet ad religionem et pietatem de qua loquebatur Apostolus, si non sumus idonei cogitare aliquid ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est, profecto non sumus idonei credere aliquid quasi ex nobismetipsis, quod sine cogitatione non possumus; sed sufficientia nostra, qua credere incipiamus ex Deo est.

Ergo ex Spiritus Sancti illustratione, inspiratione et adjutorio homo habet salutare fidei initium.

14. Hic semper fuit Catholicæ Ecclesiæ sensus ; hic fuit sensus in quo locutus est Concil. Arausicanum II, c. 5 et 7; hoc et definivit Concil. Trid., can. 3, sess. 6 : « Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio hominem credere..... posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit. » Ergo.

15. Ast, objicies, in Scripturis reperiri testimonia, quæ portas primas salutis, adeoque fidei initium humanæ adscribunt voluntati.

Sed frustra id dices; nam inibi et in aliis plurimis testimoniis significatur homines, divina gratia præventos atque adjutos animas præparare atque con-

verti, ita ut textus hujusmodi certe gratiam non excludant. Unde hic fas est animadvertere dari in Sacris Litteris testimonia, in quibus tribuitur multum gratiæ, dum ex altera parte alia inveniri, in quibus nimis indulgetur libero arbitrio; sed tum una quam altera in se continent in ordine suo et gratiam et liberum arbitrium.

Et sic late patet hæc veritas, ut in illis exemplis e Scriptura depromptis, de Zachæo, de bono Latrone, de Centurione, qui bonis operibus fidei gratiam promeruisse perhibentur, videatur evidenter gratiæ auxilium admissum, secundum verba Concil. Arausicani, cap. 25, sic expressa : « Manifestissime credendum est quod et illius Latronis, quem Dominus ad Paradisi patriam revocavit, et Cornelii Centurionis, ad quem Angelus Domini missus est, et Zachæi, qui ipsum Dominum accipere meruit, illa tam admirabilis fides non fuit de natura, sed divinæ gratiæ largitate donata. »

16. Solent insuper adversarii asserere Patres Græcos atque Latinos pene omnes ante S. August. illam tenuisse doctrinam, quam postea Semipelagiani professi sunt; videlicet Herman, S. Justinum, Clementem Alexandrinum, S. Ambrosium, S. Optatum, S. Hieronymum. Sed ab hujusmodi accusatione hos liberamus ex unica tantum observatione, animadvertentes nimirum Patres recensitos locutos fuisse formis liberioribus, quia nondum constituta erat in re technologia, et nemo hoc dogma catholicum antea impugnaverat. Unde S. August., propositam sibi a S. Prospero Semipelagianorum expostulationem diluit, in

libr. de Prædest. Sanct., c. **14**, n. **27**, his verbis: « Quid igitur opus est, ut eorum scrutemur opuscula, qui, priusquam ista hæresis oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficilis ad solvendum quæstione versari? Quod procul dubio facerent, si respondere talibus cogerentur. »

Et sic etiam dicendum de S. Joan. Chrysostomo; nam ille in pluribus locis primas salutis partes Dei gratiæ esse tribuendas agnovit. Sic in Hom. **12** in **1**ª Epist. ad Corinth., n. **1** et **2**, in Hom. **4** in cap. **2** Epist. ad Ephes. et alibi sæpe.

Ergo interior Spiritus Sancti illustrationis ac inspirationis gratia necessaria est non modo ad progressum et consummationem boni operis salutaris, sed etiam contra Semipelagianos ad initium.

17. Ergo contra eosdem ipsi primi credulitatis affectus sunt dona gratiæ. Ait Joan., cap. **4**, **29**: « Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum. » Et Apost. Paul., Rom., **11**, **35**: « Quis prior dedit illi, et retribuetur ei? Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipsum, et in ipso sunt omnia. »

18. Nihilominus, contra Novatores sæcul. XVI et contra Jansenistas, homo lapsus sine speciali gratiæ auxilio nonnullas ordinis naturalis veritates cognoscere, tum faciliora ejusdem ordinis naturalis opera perficere, tum leves superare tentationes potest.

Legitur sane in Sapient., c. **13**, **5**: « A magnitudine enim speciei, et creaturæ poterit Creator horum videri. » Ergo homo lapsus potest per seipsum aliquas ordinis naturalis veritates cognoscere.

Habetur ex Apost. Paulo ad Rom. ipsum redarguisse Philosophos, quod cum Deum naturaliter cognovissent « non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt. » Poterant gentiles sine gràtia Deum glorificare : ergo homo lapsus potest opera faciliora propriis viribus perficere.

Potest homo nonnullas ordinis naturalis cognoscere sine gratia veritates, opera faciliora propriis viribus perficere; ergo homo lapsus potest etiam sine gratia, sua vi, leves superare tentationes.

Et jure; quia genus humanum per Protoparentis lapsum non in essentialibus, uti contendunt adversarii, vulneratum fuit, neque ejus liberum arbitrium pene extinctum, sed solum in deterius commutatum quoad animam et quoad corpus, uti sæpe animadvertimus.

19. Ergo etiam vir infidelis potest aliqua opera moraliter bona efficere, adeoque non omnia infidelium opera sunt vitia aut peccata.

Loquens profecto S. Aug., de Charitate humana, Serm. 349 de Temp., cap. 1 et 2, ait : « Liceat vobis humana charitate diligere conjuges, diligere filios, diligere amicos vestros. Omnia ista nomina necessitudinis habent vinculum et glutinamen quoddam charitatis. Sed videtis illam charitatem esse posse et impiorum, id est paganorum, judæorum et hæreticorum. » Atqui charitas est basis et fundamentum omnis boni operis.

Hinc recte S. Thomas, 2, 2, q. 10, art. 4, quærens utrum omnis actio infidelis sit peccatum? resp. : « Manifestum est quod infideles..... opera bona ad

quæ sufficit donum naturæ, aliqualiter operari possunt. Unde non oportet quod in omni suo opere peccent. »

20. Quinimo ipse homo lapsus, ante obtentam justificationem, potest actus bonos ac supernaturales elicere : « Convertimini, et agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, » ait Dominus Deus (Ezech., 18, 30).

21. Non potest tamen homo justificatus in tota vita peccata omnia etiam venalia vitare, nisi ex speciali privilegio; nam fatente Joanne, 1, 8 : « Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est. » « Septies enim cadet justus » (Prov., 24, 16).

22. Ita ut homo justificatus non potest sine speciali Dei auxilio in accepta justitia perseverare.

Sanctus Celestinus Papa, in Epistola ad Galliar. Episcop., c. 6, aït : « Neminem, etiam baptismatis gratia renovatum, idoneum esse ad superandas diaboli insidias et ad vincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adjutorium Dei perseverantiam bonæ conversationis acceperit. »

23. Atqui hoc auxilium Dei, hoc adjutorium est supra naturam, est gratis datum :

Ergo gratia est omnino gratuita. Sanctus Augustinus, Enarrat. 2 in Psalm. 26, n. 6 : « Quare gratia? quia gratis datur. Quare gratia datur? quia merita tua non præcesserunt. Illi ergo gloria, qui nos liberat. »

24. Ex his hactenus disputatis, jam generatim de gratiæ actualis notione, divisione ac necessitate præ-

cipua delibavimus, insimulque præsenti satisfecimus disceptationi; nam jam vidimus ad omnes et singulos actus salutares necessariam esse interiorem Spiritus Sancti gratiam illustrationis ac inspirationis; eodemque tempore relativa deduximus corollaria; proindeque quod proposuimus, jam explevimus.

DE GRATIA.

II

DE GRATIA EFFICACI ET SUFFICIENTI.

THESIS 15ª.

Utrum detur in præsenti statu gratia mere et vere sufficiens, quæ homini completam et relative ad præsentes ejus circumstantias expeditam ad actus bonos eliciendos facultatem tribuat, quæ inutilis reddatur ex humanæ voluntatis resistentia?

1. Postquam in thesi immediate superiori de Gratiæ actualis notione, divisione ac necessitate generatim vidimus, ordo ac ratio postulat ut in præsenti sermonem habeamus de natura ac divisione gratiæ actualis relate ad liberi arbitrii cooperationem; et in hoc libenter faciendo, unicuique patet Theologo nos hic agere præcipue de gratia efficaci atque sufficienti. Hinc de his statim quærimus :

Quid sit gratia efficax? Et in quo consistat gratia sufficiens?

2. In primis tamen operæ pretium erit animadvertere hic non esse nostrum institutum in controversias Theologorum abire; ideoque prolixius in re disputare, sed tantum in medium Ecclesiæ veritatem proponere, Scholarumque Catholicarum placita breviter recensere.

3. His præmissis, sic reponimus : gratiæ efficacis nomine nos intelligimus illam prævenientem gratiam, quæ illuminat, movet et adjuvat intellectum et voluntatem, ita ut operetur bonum infallibiliter, libere tamen et minime necessario.

Qui effectus, si a gratia producuntur nullo habito respectu ad consensum hominis, tunc gratia dicitur efficax natura sua ab intrinseco; sin respiciatur ad consensum futurum, tunc gratia dicitur efficax efficacia connexionis.

4. Gratia autem vere ac mere sufficiens ea dicitur, quæ vires præbet plenas ac perfecte completas ad bene operandum relative ad præsentes hominis circumstantias.

Dividitur in Proximam et Remotam, quatenus vires prædictas immediate suppeditat, vel mediate.

5. Quibus positis definitionibus, sic statuitur primum dogma catholicum in themate :

« Sub gratia efficaci intacta remanet libertas arbitrii, et nulla absoluta inducitur necessitas, id est, homo liber est in actibus salutaribus. »

Et sane Moyses in Deuteron., 30, 19 et seqq., postquam proposuisset populo Israelitico « vitam et mor-

tem, benedictionem et maledictionem, » ita eum hortatus est : « Elige ergo vitam, ut et tu vivas et semen tuum, et diligas Dominum Deum tuum, atque obedias voci ejus. »

Atqui posito quod homini ad operandum adempta fuisset a gratia Dei libertas, tunc 1° hujusmodi exhortationes locum non haberent, et 2° Moyses consensione Dei populum Israeliticum deciperet. Jam vero hoc asserere est absurdum : ergo gratia efficax non infert homini necessitatem ullam.

Legitur apud Zach., 1, 3 : « Convertimini ad me, et ego convertar ad vos. » Ergo homo libere gratia præveniente, excitante movetur, flectitur, determinatur.

Apostolus Paulus ait, Philipp., 2, 12 : « Cum timore et tremore salutem vestram operamini. » Ergo S. Doctor docet hominem libere posse agere et operari sub gratia.

Dicitur in Ecclesiastico, 31, 10 : « Qui potuit transgredi, et non est transgressus; facere mala, et non fecit. » Ergo homo potest sub gratia Dei agere et non agere, operari et non operari.

Atqui ibi dicendum est gratiam efficacem nullam in actibus salutaribus absolutam homini inferre necessitatem, ubi homo sub hujusmodi gratia potest libere moveri, flecti, determinari; libere agere et operari, non agere et non operari.

Ergo sub gratia efficaci intacta remanet libertas arbitrii.

6. Universa antiquitas semper hanc tenuit doctrinam, uti asserit Calvinus ipse (Inst., lib. 2, cap. 3, § 10).

Et S. August., conquerentibus Pelagianis et Semipelagianis ex ipsius doctrina sequi interitum libertatis humanæ, optime perpetuo propugnavit summam gratiæ vim et efficaciam, insimulque libertatis humanæ integritatem.

Ait enim, in Epist. 214, alias 46 : « Si non est Dei gratia, quomodo salvat mundum? Et si non est liberum arbitrium, quomodo judicat mundum? » Hinc S. Bernardus his alludens verbis, de gratia et libero arbitrio inquit : « Tolle liberum arbitrium, non erit quod salvetur; tolle gratiam, non erit unde salvetur. »

7. Jure proinde Conc. Trid., sess. 6, can. 4, edixit : « Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium, a Deo motum et excitatum, nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat ac præparet; neque posse dissentire, si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passive se habere : anathema sit. »

Et merito S. Synodi Patres ita constituere; secus enim ignavis hominibus daretur occasio peccandi, et Deo Optimo Maximo peccatorum imputabilitas.

8. Nec fucum faciunt oppositiones etiam hic ab adversariis prolatæ. Nam si dentur in Scripturis passim testimonia, in quibus videtur omnis homini activitas sub gratia denegari, illa ita intelligenda sunt, ut dum ex uno latere adstruunt gratiæ infallibilem efficaciam, repellunt nihilominus ex altero, ut libero arbitrio ab ea necessitas inferatur.

Et S. Aug. aliique Patres, cum locuti sunt de gra-

tiæ necessitate, sermonem dicunt de necessitate hypothetica, vel morali, quarum nec una, nec altera officiunt libertati.

Ergo evidenter patet gratiam efficacem nullam absolutam inducere homini necessitatem in actibus salutaribus, id est, hominem in his libere agere.

9. Sed dogmate hoc catholico constituto, quæri solet quomodo concilietur et explicetur libertas arbitrii cum infallibili gratiæ efficacia?

Hinc Scholarum Catholicarum varia systemata.

Et 1° Thomistæ constituunt gratiæ efficaciam repetendam esse a prædeterminatione physica ad actum salutarem; et objicientibus hac ratione perimi libertatem, reponunt distinctione sensus compositi et sensus divisi.

2° Augustinianenses gratiæ efficaciam repetunt a duplici delectatione relative per gradus victrici, ita ut si alterutra prævaleat, habeatur assensus, vel dissensus; et in hoc tantum discriminantur a Jansenistis, quod hi contendunt gratiam homini inferre necessitatem, illi vero non ita.

3° Congruistæ denique nullum reale discrimen in essentia et in origine admittunt inter gratiam efficacem et sufficientem, ita ut gratia præveniens præbeat veram ac expeditam ad agendum potestatem : hinc si homo consentiat, gratia fit efficax; sin secus, remanet sufficiens.

Nihilominus admittunt aliam alia vividiorem et validiorem efficaciam virtutis : quod si enim Deus vult aliquem absolute converti, tantam ei gratiam tribuit, cui prævidet hominem infallibiliter assensurum.

Sed cum in re nondum Ecclesia locuta est, unusquisque pro lubito, iis in seligendis systematibus, suo abundet in sensu.

Et satis de gratia efficaci : nunc de sufficienti, et illico quærimus :

10. Daturne in præsenti statu gratia mere atque vere sufficiens?

Veniunt Novatores sæculi XVI, et ex suis propriis systematibus nullam agnoscunt gratiam, quæ careat effectu.

Sequuntur et Jansenistæ, qui aiunt dari aliquam parvam gratiam, quæ dici potest sufficiens in se ratione sui absolute, non autem relative ad præsentes hominis circumstantias.

11. Catholica Ecclesia e contrario docet dari gratiam sufficientem, et esse talem relate ad præsentes subjecti circumstantias; idcirco quidquid sentiant impii, nos semper dictamine Sanctæ hujus Ecclesiæ consectantes, contra hos omnes hanc statuimus propositionem :

DATUR IN PRÆSENTI STATU GRATIA MERE ET VERE SUFFICIENS, QUÆ HOMINI COMPLETAM, ET RELATIVE AD PRÆSENTES EJUS CIRCUMSTANTIAS EXPEDITAM AD ACTUS BONOS ELICIENDOS FACULTATEM TRIBUIT, QUÆ INUTILIS REDDITUR EX HUMANÆ VOLUNTATIS RESISTENTIA.

Et sane Sacra Scriptura tum in V., tum in N. Testamento nos edocet Deum peccatores plerumque objurgare, ex eo quod ipsius gratiæ resistant. S. enim Protomartyr Stephanus ad Judæos verba dirigens, sic se habet : « Dura cervice et incircumcisis cordibus

et auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis, sicut patres vestri, ita et vos » (Act., c. 7, 51). Juxta illud Prov., 1, 24 : « Vocavi, et renuistis; extendi manum meam, et non fuit qui adspiceret. Despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis. » Secundum quod scribit Isaias, 10, 4 : « Quid est quod debui facere vineæ meæ, et non feci ei? An quod expectavi, ut faceret uvas, et fecit labruscas? »

Quæ omnia breviter contrahuntur a Christo apud Matth., 23, 37 : « Jerusalem, Jerusalem..... quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti! »

Jam vero ex his Verbi Dei testimoniis recensitis, duo recto tramite deducuntur:

1° Deum Optimum Maximum gratiam dare hominibus, quæ satis est ad præsentes circumstantias; 2° hominem voluntate sua huic resistere.

Et re quidem vera : « Vocavi (ait Deus)..... extendi manum meam..... volui congregare filios. » Et ad quid sic Deus se gessit? Ut consilia sua audirent homines..... ut facerent uvas vineæ suæ..... ut posset congregare filios sub ordine virtutis atque justitiæ.

Uno verbo, ut posset homo assequi illud bonum supernaturale, ad quod conditus erat. Et quando? In præsenti statu. Ergo datur gratia sufficiens relativa ad præsentes circumstantias.

Atqui Judæi Spiritui Sancto resistunt, veluti eorum patres..... Homines despiciunt consilia Dei, ejusque increpationes negligunt..... Vineæ Dei faciunt labruscas, potius quam uvas..... Jerusalem noluit congregari sub alas Dei. Ergo gratiæ hujusmodi resistunt;

ergo admittenda est gratia sufficiens relativa ad præsentes circumstantias, cui potest resisti.

12. Quæ autem gratia, his testimoniis significata, non est extrinseca, sed est interior voluntatis gratia. Ait enim S. Stephanus « dura cervice et incircumcisis cordibus. » Atqui planum est ut hic nomine cordium intelligatur voluntas, uti demonstrat S. Thomas, lib. 11, art. 6.

Hinc jure meritoque damnata est ab Ecclesia Jansenii propositio: Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.

13. Ex Sacris Eloquiis apertissime evincitur justis conantibus et volentibus numquam deesse gratiam, qua præceptorum observatio vere possibilis fiat.

« Fidelis Deus est (inquit Apost. Paul., 1 ad Corinth., 10, 13), qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere; » « ita ut permittat Deus tantum unumquemque tentari, quantum potest sustinere » (S. Cyprian, lib. 3 Testim., cap. 91).

Atqui si Deus non patitur aliquem tentari supra id quod potest, sed tantum quantum potest sustinere, justis conantibus et volentibus numquam deest gratia, qua præceptorum observatio vere possibilis fiat.

Ergo jure ac merito damnata est ut hæretica altera Jansenii propositio: Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus et conantibus secundum præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia: deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant.

Atqui gratia hujus generis est gratia cui potest resisti, et hæc est sufficiens: ergo datur gratia mere

ac vere sufficiens, relativa ad præsentes circumstantias, sive proxima, sive remota.

14. Neque hic cum adversariis dicas Paulinum testimonium esse tantum intelligendum de solis electis; nam Patres de omnibus justis universaliter explicant illud, dummodo inertes et desides non sint, sed conentur et velint.

Ait revera S. Aug. (de Cathechizandis rudibus, cap. 25, tom. 6, non solos prædestinatos, sed omnes fideles alloquens) : « Humilis esto Deo, ut non te permittat tentari supra id quod potes. » Et Conc. Trid., sess. 24, can. 9, a clericis castitatem posse servari definit : « Cum Deus id recte petentibus non deneget, nec patiatur nos supra id quod possumus tentari. »

15. Ex S. Litteris eruitur aperte Deum omnibus fidelibus, peccatoribus etiam obduratis et obcæcatis gratias tribuere, quibus possint tum ulteriora peccata præcavere, tum a patratis resipiscere. Ait sane Petrus, Ep. 2, c. 3, 9 : « Quod Deus patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti. »

Omnes igitur Deus vult ad pœnitentiam reverti : ergo et peccatores, etiam obcæcatos et obduratos. Et quibus mediis? Per gratiam suam, quæ capax est hunc obtinere finem, et cui potest resisti : ergo per gratiam sufficientem; ergo datur gratia vere et mere sufficiens, relativa ad præsentes circumstantias, cui potest resisti.

16. Ex S. Scripturis aperte deducitur Deum pro loco ac tempore dare infidelibus omnibus, etiam negativis, gratiam, ut possint assequi salutem. Apostolus enim

Paulus, in 1 Timoth., 2, 1 et seqq., vult fieri orationes pro omnibus hominibus, quia, ut addit: « Hoc bonum est et acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire. Unus enim Deus, et mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus. » Quod si Deus infideles vult salvos fieri, si Christus dedit seipsum pro illis redemptionem, certum est Deum illis largiri gratiam ad hanc salutem sibi comparandam. Atqui hæc est gratia, quæ sufficit ad illum assequendum finem et cui potest resisti: ergo datur gratia sufficiens in præsenti statu, relativa ad præsentes circumstantias.

17. Ast, objicies, nuspiam in Scripturis gratiæ memorantur sufficientes: ergo non existunt. Sed frustra id asseris; nam si in his utique non inveniuntur hujus generis nomina, invenitur tamen res vocibus illis significata.

Et si plerumque Sacræ Litteræ testimonia exhibent, in quibus videtur gratia omnis suum effectum sortiri, nihil aliud ex hoc deduci potest, nisi quod Dei voluntati et omnipotentiæ (cum Deus absolute aliquid velit) nemo resistere possit: et inibi, ex altera parte, sermo non habetur de gratia, quæ potest esse et efficax et sufficiens, sed tantum de gratia efficaci.

Ergo ex Scriptura constat dari in præsenti statu gratiam mere et vere sufficientem, quæ homini completam et relative ad præsentes ejus circumstantias expeditam ad actus bonos eliciendos facultatem tribuit, quæ inutilis redditur ex humanæ voluntatis resistentia.

18. Quæ veritas ita est altis defixa radicibus, ut sana et non interrupta traditio huc illuc semper professa sit. Audiantur præ cæteris S. Aug. et Angelicus Doctor S. Thomas.

S. Augustinus enim, lib. 1 de Peccat. meritis et remiss., cap. ult., de homine justo loquens, sic ait: « Habet concupiscentiam, eam qua pugnat, eamque adjuvante Deo superat, si non in vacuum gratiam ejus susceperit, si reprobus esse noluerit. » Ex S. igitur Doctore Deus dat gratiam, ut homo pugnando cum concupiscentia hanc possit superare; nihilominus si non assentiatur gratiæ excitanti atque vocanti, reprobus fit. Ergo ex S. Aug., datur in præsenti statu gratia, quæ sat est relative ad præsentes circumstantias, et cui potest resisti: ergo datur gratia sufficiens.

Idem S. Pater, initio Præfation. in Ps. 124, ait: « Cor eorum congelascit adversus Deum, et fit durum adversus imbrem gratiæ ipsius, ne fructum ferat. » Ergo gratiæ Dei quis potest resistere, ne ferat illum fructum, ad quem largita est.

Ergo S. August., præter gratiam efficacem, gratiam admittit sufficientem; nam gratia de qua loquitur in recitato testimonio, certe non est illa de qua scribit de Prædest. Sanctorum, c. 8, et cui resisti non potest: « A nullo, inquit, duro corde respuitur, ad hoc quippe datur, ut durities cordis penitus auferatur. »

19. Sed dices, S. Aug. tantum gratiam efficacem agnovit, ita ut semper de ea explicaverit verba Christi: « Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum. »

Cui oppositioni facile occurrimus, una tantum observatione in medium prolata, nimirum S. Doctorem Scripturarum testimonia explicavisse de gratia efficaci, cum illa revera ad gratiam pertinerent efficacem ; sed ex hoc non venit, quod alibi sive Sacræ Litteræ, sive S. Aug. aliam non agnovissent gratiam, quæ nostra voluntate careat effectu, uti ex hactenus relatis apertissime constat. Et sic multa de S. Doctore resolves.

20. Instant tamen adversarii et asserunt, gratiam inefficacem S. Aug. non esse, nisi gratiam externam (lib. de Gratia Christi, cap. 15, alibique). Sed etiam hic terunt frustra tempus contradictores; nam S. Doctor illis et in aliis verbis declarat, se in his, qui non credunt vel bonum non operantur, non agnoscere eam gratiam victricem et efficacem de qua potissimum sollicitus erat contra Pelagianos et Semipelagianos. Sed ex hoc non profluit illum excludere quamcumque aliam gratiam interiorem, qua homo adjutus vel crederet, vel bene operaretur, nisi ei propria perversitate resisteret.

Nihil denique dicam de illo adjutorio sine quo aliquid non fit, et adjutorio quo aliquid fit. Nam in primo S. Doctor significat gratiam illustrationis, in altero vero gratiam inspirationis; proindeque nulla in re difficultas.

21. Apertius de gratia sufficienti in sensu exposito loquitur S. Thomas, qui, 1, 2, qu. 106, art. 2, ad 2, hæc verba tenet : « Gratia Novi Testamenti, etsi adjuvet hominem ad non peccandum, non tamen ita confirmat in bono, ut homo peccare non possit : hoc

enim pertinet ad statum gloriæ. Et ideo si quis post acceptam gratiam Novi Testamenti peccaverit, majori pœna est dignus, tamquam majoribus beneficiis ingratus et auxilio sibi dato non utens..... quia quantum est de se, sufficiens auxilium dat ad non peccandum. » Quæ verba nulla indigent interpretatione.

Ergo ex Patribus constat dari veram et relativam ad præsentes circumstantias gratiam sufficientem, cui potest voluntate resisti.

22. Hinc jure Conc. Trident. pro certo habet nos aliquando gratiæ Dei interiori resistere, sess. 6, c. 15, et ait : « In Dei auxilio firmissimam spem collocare, et reponere omnes debent : Deus enim nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet operans velle et perficere. » Ergo datur gratia sufficiens.

23. Et merito ; nam Deus vult omnes salvos fieri Christus pro omnibus mortuus. Nihilominus plures ex hominibus peccant et pereunt ; quid ex hoc ? Ergo non omnes gratiæ sunt efficaces, et quæ non efficaces sunt vere ac mere sufficientes.

24. Quæ tamen non sunt inutiles, uti autumant adversarii ; nam posita nostræ voluntatis affectione, ad actum reducuntur et producunt effectum; et tunc solum inutiles evaderent, si non inservirent aliquo intrinseco defectu, non autem ex sola hominis malitia. Non sunt perniciosæ, uti hæretici ogganniunt ; nam in se ac prout a Deo tribuuntur utiles sunt ac optimæ, eo modo, quo sunt utilia et bona omnia dona Dei. Quod si fiant perniciosæ, tunc hominis pravæ voluntati imputandum.

Non sunt denique Deo indignæ; nam Deus non tribuit illas ea intentione, ut nullum producant effectum, sed tantum prævidet earum abusus; et si Deus in hac prævisione esset culpandus, tunc eodem modo incusandus esset, quum tribuat divitias, valetudinem, pulchritudinem, libertatemque ipsam : quod nemo, nisi insanus, asserere audebit.

25. Ex his igitur usque adhuc in thesi breviter delibatis, tum ex Scriptura, tum ex Traditione, tum ex damnatis Jansenii propositionibus, tum denique ex ratione theologica constat verum esse, quinimo ad fidem pertinere hanc propositionem :

DATUR IN PRÆSENTI STATU GRATIA MERE ET VERE SUFFICIENS, QUÆ HOMINI COMPLETAM ET RELATIVE AD PRÆSENTES EJUS CIRCUMSTANTIAS EXPEDITAM AD ACTUS BONOS ELICIENDOS FACULTATEM TRIBUIT, QUÆ INUTILIS REDDITUR EX HUMANÆ VOLUNTATIS RESISTENTIA;

quam, in hac disceptatione, ostendere suscepimus et jam demonstravimus.

DE GRATIA

III

DE GRATIA HABITUALI, SEU SANCTIFICANTE.

THESIS 16ª.

Utrum in justificatione impii peccata vere remittantur ac prorsus deleantur.

1. Postquam duabus propositis quæstionibus quoad gratiam jam satisfecimus, operæ pretium erit nunc de tertia, id est de gratia habituali, seu sanctificante verbum tenere.

2. Et primum videndum quid veniat sub hujus gratiæ nomine.

Gratia habitualis, seu sanctificans, solet definiri a communi Theologorum : supernaturale Dei donum permanenter inhærens animæ, quo homo immediate

et formaliter sanctus efficitur, justus, Deo gratus, filius Dei adoptivus, capax eliciendi opera meritoria vitæ æternæ, ejusdemque hæres.

Hinc vides hanc afferre in homine justitiam et sanctitatem formalem contra Novatores sæc. XVI, qui existimantes justitiam originalem esse naturæ humanæ essentialem, autumarunt ex illius amissione originale peccatum esse aliquod positivum atque substantiale; proindeque sanctitatem et justitiam non esse propriam hominis sanctificati, sed esse ipsam formalem Christi sanctitatem et justitiam, per fidem apprehensam.

3. Tunc quærendum est in quonam præcise sit essentia gratiæ habitualis, seu sanctificantis?

Itaque in re Theologi Catholici per diversas abeunt opiniones; sed hic nostrum non est eorum placita referre : an sit nimirum gratia sanctificans qualitas physica vel moralis, an sit creata vel increata, ut inhæreat animæ justi per modum habitus, etc.; sed solum asserimus per eam homo justificari.

4. Justificatio autem, secundum Conc. Trid., sess. 6, cap. 4, est « translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ et adoptionis filiorum Dei per secundum Adam Jesum Christum Salvatorem nostrum. » Hinc justificatio, juxta doctrinam catholicam, ideoque secundum Verbum revelatum consistit in interiori animæ renovatione per inhærentem sibi gratiam ob Christi merita.

Unde contra Protestantes eorumque asseclas vox justificationis non adhibetur pro declaratione externæ justitiæ modo forensi, ita ut peccata impiorum solum-

modo tegantur ob extrinsecam justitiæ Dei aut Christi imputationem, sed ut peccata hominum vere remittantur.

Sed ut hoc facilius intelligi possit, aliqua sunt prænotanda. Et primo nobis jam notum est omnes homines nasci in peccato originali, adeoque morti æternæ obnoxios : venit Baptismus, et omnia abluit. Ast ipsi adulti post justitiam baptismalem novis se peccatis fœdant; et peccata hujusmodi constituunt reatum culpæ et reatum pœnæ, quorum prior est ipsa actus deformitas, posterior est obligatio ad pœnam ; et ex his homo fit vas iræ et contumeliæ, fit creatura Deo Creatori aversa ; venit justificatio, et homo ad Deum per ipsam revertitur.

Hinc duo principia, quæ Catholica Ecclesia in re tenet : 1° peccata ita deleri ac penitus ablui, ut non amplius eorum fœditas ac turpitudo remaneat, hominemque ideo justificatum esse vere atque intrinsece justum; 2° Spiritus Sancti gratiam in nobis intrinsece recipi et inhabitare, non autem tantum Christi justitiam nobis extrinsecus imputari.

Hinc contra hæreticos sit

PROPOSITIO :

IN JUSTIFICATIONE IMPII PECCATA VERE REMITTUNTUR AC PRORSUS DELENTUR.

5. Et re quidem vera, Deus omnipotens sua infinita sapientia ac bonitate ita nos hujusmodi in Scripturis docuit veritatem, ut passim, sive in Veteri, sive in Novo Testamento, luculenter de ea sermonem ha-

beat. Edocet scilicet peccata in impii justificatione vere remitti, auferri, deleri atque ablui tum quoad reatum culpæ, tum quoad reatum pœnæ præsertim æternæ.

Legitur sane 1 Paralipom., 21, 8 : « Aufer iniquitatem servi tui. » Atqui auferre aliquid non importat illud tegere, sed e medio tollere, juxta illud Psal. 50, vers. 2 : « Dele iniquitatem meam, » vel secundum verba Isaiæ, c. 44, 22 : « Delevi ut nubes iniquitates tuas, et quasi nebula peccata tua. » Atqui implicat sibi repugnantiam asserere, quod nebulæ non extinguantur, cum sint solis calores, nec dissipentur nubes ventorum adventu, et aliquod illarum remaneat vestigium.

Ac tali in modo, ut homo justificatus abluatur et mundetur. « Asperges me, Domine, hyssopo, et mundabor; lavabis me, et super nivem dealbabor » (Psalmus 50). Atqui in essentia nivis non est specie tenus dealbatio, sed realis : ergo etiam in justificato mundatio et ablutio est realis; ergo peccata non detecta, sed vere remissa, prorsus deleta. Hinc Apost. Paul. Ephes., 5, 26, jure scribit Christum passum esse « ut sanctificaret, mundaret et exhiberet ipsi sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta et immaculata. » Ergo ex Scriptura plane constat, in justificatione impii peccata vere remitti, deleri, auferri atque ablui, non autem tegi.

6. Hinc facile resolves omnia Sacræ Scripturæ testimonia, quæ ab adversariis proponuntur, ut contrarium demonstrent, id est peccata tecta, delicta homi-

nibus non reputata ; et cum S. August., Enarr. 2, in Ps. 31, n. 9, dices : « Cooperta sunt peccata, abolita sunt, tecta sunt..... Non sic intelligatis, quod dixit cooperta sunt, quasi ibi sint et vivant. » Et merito; nam omnia peccata dicuntur tecta coram Deo : oculis ejus revera omnia sunt, et aperta sunt.

7. Sed instas, saltem ante legem Mosaicam hominis justificatio consistebat in sola peccatorum non imputatione. Ait Apost. Paulus ad Rom., 5, 13 : « Usque ad legem enim peccatum erat in mundo : peccatum autem non imputabatur, cum lex non esset. » Sed etiam hic frustra id contendis, et meridiana luce hoc clarius vides, si tantum animum convertas ad unicam et simplicem observationem.

Sub duplici nimirum adspectu lex considerari potest, vel in ipsa natura hominis, vel in Scriptis Mosaicis. Si consideretur in ipsa hominis natura, tunc præcise negamus peccatum ante legem non imputari; et nostram probant negationem omnes illæ pœnæ, quas Deus ante legem Mosaicam sumpsit de scelestis hominibus.

Quod si vero consideretur lex in Scriptis Mosaicis, tunc utique ante legem peccatum non imputabatur; quia hoc concipi nequit sine legis transgressione, et lex nondum lata erat : ergo tota evanescit adversariorum difficultas ;

Ergo ex Scriptura luculenter nostra evincitur propositio.

8. Quæ insuper aperte eruitur ex Traditione.

S. enim Joan. Chrysostom., in libro 2 de Compunctione, sic se habet : « Cordis compunctio, sicut ignis,

omne animæ vitium perurit et adimit, et quantacumque in ea repererit mala, abstergit universa, et penitus delet. »

Atqui quod abstersum est et penitus deletum, quidem tectum non remanet.

9. Ait S. August., lib. 1, ad Bonifacium, cap. 13 : « Dicimus baptisma omnium dare indulgentiam peccatorum et auferre crimina, non radere : nec ut omnium peccatorum radices in mala carne teneantur, quasi rasorum in capite capillorum, unde crescant iterum resecanda peccata. »

Auferre crimina (inquit S. Doctor), non radere. Ergo prorsus deleri, prorsus remitti, non tegi.

Idem dicit Gregor. Magn., lib. 9, Ep. 59; idem Catechism. Rom. asserit, part. 2, de Sacram. Baptismi, n. 43.

10. Sed, inquies, dantur et Patres, qui contrarium sentiunt, inter quos recenseri fas est S. Hieronym., qui, lib. 3 in Jerem., c. 13, explicans verba Ps. 142, censet peccata non vere ablata esse, sed dumtaxat tecta, ita ut Deus adhuc ea conspiciat. En verba : « Id dictum esse non ad comparationem Dei (ut veteres et novi hæretici volunt et patroni hæreticorum), sed ad scientiam ejus. Homo enim videt in facie, Deus in corde; et quod nobis interdum mundum videtur, illius oculis sordidum deprehenditur. »

Ast nescio quomodo in partem suam adversarii S. vertant Doctorem in illis verbis; nam inibi Hieronymus asserit quandoque evenire ut nos aliquod bonum existimemus, quod realiter coram Deo est malum : homo videt in facie, Deus in corde.

Inibi S. Scriptor advertit nos plerumque hominem justum habere, qui tamen coram Deo peccatis est coinquinatus : quod nobis interdum mundum videtur, illius oculis (Dei) sordidum deprehenditur.

Atqui utrumque quod scribit S. Hieron. verum est; et tamen concluditur, his animadversis, peccata in impii justificatione non esse vere ablata, sed dumtaxat tecta. Considerent hæretici ipsimet et judicent.

11. Instas, ipse Hieronymus, aliique Patres tenent nos nihil boni habere, et totam nostram justitiam inniti in una Dei misericordia (S. Hier., in Dial. 1 adversus Pelag.); et S. Gregor. Mag., in lib. 35 Moralium, ulterius procedens dicit « in homine esse pura mala. »

Sed reponentes breviter huic sectatorum oppositioni, asserimus SS. Ecclesiæ Patres non solum in his locutionibus, sed etiam in aliis multis potius quam designent peccata nostra non esse vere remissa, tantummodo constituunt nihil esse in nobis boni ex viribus nostris, sed nos omnia Dei gratiæ referre debere. « Omnis enim, aiente Apostolo, sufficientia nostra est a Deo; et quid habemus, a Deo habemus. » Ergo quid gloriamur?

Atqui hæc omnia vera sunt, et tamen citati Patres iis in constituendis non asserunt peccata impii justificatione non esse prorsus deleta, penitus remissa.

12. Hinc merito Concil. Trid., sess. 5, can. 5, sancivit : « Si quis per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat; aut etiam asserit non tolli totum id, quod veram et propriam peccati rationem ha-

bet : sed illud dixit tantum radi, aut non imputari..... anathema sit. »

13. Atque optima id edixit ratione; nam duo in Scripturis pro certo eruuntur : 1° quod peccatores sint translati de morte ad vitam (1 Joan., c. 3, v. 14); 2° quod ipsimet peccatores excitati sint cum Christo (Rom., 6, 1).

Ergo, vel asserundum est peccata in impii justificatione vere remitti ac prorsus deleri, vel Scripturam falsum edocere.

Atqui alterum dicere est absurdum : ergo primum propugnandum est; ergo, in justificatione impii, peccata vere remittuntur ac prorsus delentur.

14. Sed hic quæritur : Impiorum formalis justificatio estne in sola imputatione justitiæ Christi, aut in sola peccatorum remissione, vel potius justificantur per gratiam et charitatem, quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffunditur atque illis inhæret; et gratia, qua justificamur, estne tantum favor Dei?

Iniquum est asserere impios justificari formaliter sola imputatione justitiæ Christi, aut sola peccatorum remissione : ergo dogmaticum esse dicemus justificari per gratiam et charitatem.

15. Et sane Apostolus Paulus, Rom., 5, 5 : « Charitas Dei, inquit, diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. » Ad Titum, 3, 5, 6, 7 : « Salvos, ait, nos fecit, per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde per Jesum Christum Salvatorem nostrum, ut justificati gratia ipsius, hæredes simus secundum spem vitæ æternæ. »

Quod jam precabatur Regalis Propheta in Psal. 50, v. 12 : « Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis. »

Ergo ex Sanctis Litteris impii justificatio est in regeneratione et renovatione interna, per Spiritum Sanctum effecta, non autem sola Christi externa justitiæ imputatione, vel sola peccatorum remissione.

Et jure; nam secus impiorum conversio et totalis mutatio nec esset, nec intelligi posset.

Liceat, ex. gr., in mentem revocari illud mirabile factum conversionis Divi Pauli, qui ex Christi Ecclesiæ persecutore, mutatus fuit in vas electionis. Jam vero hoc posito, vel dicendum est impium justificari per internam gratiæ infusionem, vel asserendum Paulum non fuisse interne mutatum.

Atqui hoc alterum est absurdum : ergo.

16. Hinc Concil. Trident. in sess. 6, can. 10 et 11, anathemate ferit omnes illos, qui contrarium sentiunt. Edicit revera, can. 10 : « Si quis dixerit homines per eam ipsam (Christi justitiam) formaliter justos esse, anathema sit. »

Can. 11 : « Si quis dixerit homines justificari vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia et charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atque illis inhæreat, aut etiam gratiam, qua justificamur, esse tantum favorem Dei, anathema sit. » Ergo.

17. Sed nunc duo breviter præstanda sunt, ut nostram possimus pro virili parte complere et absolvere thesim.

Loquendum 1° de mediis justificationis, 2° de justificationis effectibus.

Ad primum.

18. Præcipuum justificationis medium est vera Dei gratia.

Et sane neminem præterit hominem sine infusa charitate Deum non amare : atqui nemo dicit hominem justum, qui nondum Deum amat. « Si habuero omnem fidem (ait Apost., 1 Corinth., c. 13, 2), ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. » Atqui charitas vera non est, nisi ex Spiritu Sancto diffusa in cordibus nostris (Paul., Rom., c. 5, v. 5). Ergo præcipuum justificationis medium est mera gratia Dei.

19. Alterum justificationis medium est fides, quam Tridentini Patres vocant dispositionem ad justificationem. Et reapse, ait Joan. : « Hæc scribo vobis, ut sciatis quoniam vitam habetis æternam, qui creditis in nomine Filii Dei. » Legitur, Act., 16, 30 : « Et producens eum foras ait : Domine, quid me oportet facere, ut salvus fiam ? At illi dixerunt : Crede in Dominum Jesum, et salvus eris tu et domus tua. » Paul., Rom., 5, v. 1, scribit : « Justificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum. » Ergo alterum justificationis medium est fides.

20. Sed quænam fides ?

Firmus assensus ad ea omnia, quæ Deus revelavit, non vero fiducia Novatorum in divinis promissionibus.

Et sane Christus, cap. ult. Marci, v. 15, ait : « Prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit.....

salvus erit. « Et alibi : » Hæc scripta sunt, ut credatis quia Jesus est Christus Filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine ejus. » Qua ratione igitur salvus erit? vitam æternam habebit? Si crediderit Jesu Christo, ejusque Evangelio. Ergo ad justificationem non fiducia in divinis promissionibus requiritur, sed assensus ad ea omnia, quæ Deus revelavit, id est vera fides.

21. Sed hæc fides sola sufficitne ad justificationem?

Minime; non est soli fidei adscribenda justificatio.

Ait enim S. Jacobus, in Epist. sua, c. 2, v. 14 et seqq. : « Quid proderit fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides salvare eum? Fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa. » Et iterum : « Videtis quoniam ex operibus justificatur homo, et non ex fide tantum?..... Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita et fides sine operibus mortua est. »

Hinc S. Bernardus, Serm. 24 in Cant., ait : « Non facit hominem rectum, neque fides etiam recta, quæ non operatur ex dilectione. » Et iterum : « Neque opera sine fide, neque fides sine operibus, sufficit ad æternam rectitudinem. » Ergo.

22. Unde pro tertio modo asserimus, quod posita in nobis fide illa, quæ regenerationis et justificationis dispositio est et initium, sequi actum Dei judicialem absolutionis a peccatis nostris. Et reapse ex superius prænotatis constat, hominem justificari per fidem, per quam gratia Mediatoris nostri nobis impetratur : dubitari ergo nequit quin posita fide, quæ primum donum est, quod homini peccatori largitur Deus, eum justificet per merita Jesu Christi.

23. Quarto denique concludimus, hanc justificationem nobis impetrari per merita Christi, qui pro peccatis nostris Patri satisfecit. Deus profecto in justificatione in cordibus hominum charitatem suam effundit; et Christus pro nobis mortuus est, ejusque sanguine nos redemit : ergo.

Et hæc sunt media justificationis.

24. Nunc aliquid de justificationis effectibus, seu bonis.

Principio illa venit pax spiritualis in nobis, quæ est pax cum Deo et magna pars felicitatis præsentis. Ait Apost. ad Rom., 5, 1 : « Justificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum. »

Per fidem : ergo non ex lege. Atqui hic est primus veræ justitiæ effectus, reconciliatio nostra cum Deo, quam neque lex, neque humana philosophia potuerunt efficere.

25. Alter effectus est adoptio justificati in filium Dei. Inquit Joan., 1 Epist., 3, 2 : « Charissimi, nunc filii Dei sumus ; et nondum apparuit quid erimus. » Hinc justificatus evadit frater Christi, ejusque cohæres. Paulus ad Rom. ait, 8, 17 : « Si autem filii et hæredes : hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. »

26. Tertius denique effectus est spes certissima vitæ æternæ, quam gloriam Dei vocat Apostolus, Rom., 5, 2 : « Per quem et habemus accessum, per fidem in gratiam istam, in qua stamus, et gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei. »

In qua stamus, in qua perseveramus, et gloriamur in spe æternæ felicitatis.

27. Nihilominus hujusmodi effectus possunt amitti, eodemque tempore amissibilis est gratia sanctificans. Legitur porro in Veteri Testamento, Deum ore Prophetæ Ezechielis (Ezech., c. 3, 20) comminatum esse justo : « Quod si conversus justus a justitia sua fuerit, et fecerit iniquitatem..... in peccato suo morietur, et non erunt in memoria justitiæ ejus, quas fecit. »

Ergo justus potest a justitia sua decidere et mori in peccato suo; secus enim frustranea redderetur Dei comminatio.

Ex quo S. Augustinus, de Corrept. et Gratia, c. 6, probat hominem, si jam regeneratus et justificatus in malam vitam sua voluntate relabitur, esse corripiendum, quia acceptam gratiam suo in malum libero amisit arbitrio. Ergo justificatio est amissibilis.

28. Atque his animadversis, disputatisque finem nostræ facimus thesi. Probavimus revera in justificatione impii peccata vere remitti et prorsus deleri, ac deinde compendiose præcipua pertigimus, quæ ad justificationem spectant; proindeque omni, quod proposuimus, satisfecimus. Hacque insimul disceptatione explicit tractatus de gratia, quia jam de tribus capitibus, quæ ab initio pertractare constituimus, ex ordine diximus.

DE SACRAMENTIS.



I

DE PŒNITENTIA.

THESIS 17ª.

Utrum Pœnitentia sit vere ac proprie Novæ Legis Sacramentum, a Christo Domino institutum ad delenda peccata post Baptismum commissa. Et quot sint ejus partes? Et quænam?

—

1. Ex systemate, quod jam ab initio nostræ institutionis in medium protulimus, facile est cognoscere nos hic de Sacramentis sermonem agere. Diximus enim de Christi Redemptione; debebamus proinde verbum tenere de effectibus præcipuis hujus Redemptionis. Et in hac consideratione, postquam præcipua delibavimus de gratia, veluti de principali Christ

Passionis et Crucis effectu, necessarium erat in præsenti nonnulla disserere de altero etiam maximi momenti effectu, nimirum de Sacramentis.

2. Sed inutile est animadvertere nos hic loqui non posse de omnibus Sacramentis, nec non de his omnibus rebus, quæ ad illa relativa sunt; nam institutum nostrum id prohibet. Idcirco expositis in primis nonnullis in re considerationibus in genere, disseremus præcipue et prolixius de duobus Novæ Legis Sacramentis, quæ in praxi præ manibus sacerdotum fideliumque versari solent. Et primo probare conabimur Pœnitentiam esse vere ac proprie unum ex septem Sacramentis; deinde videbimus quid sit Matrimonium, et an sit vere Sacramentum. Quod duabus appositis disceptationibus absolvere posse existimamus.

3. Hinc statim quærimus quid sit Sacramentum in genere?

Nomen Sacramenti varie accipitur. Antiquitas illo nomine uti solebat ad significandum juramentum militum in servitiis fideliter præstandis (Veget., libr. 2 de Re militari, cap. 5).

Vel ad exprimendum illud pignus in loco sacro deponendum, ut victus, qui in causa caderet in pœnam injuste litigationis, depositam pecuniam amitteret. Hinc Cicero, Sacramento contendere.

Sed missis profanis usibus, ecclesiastici Scriptores hoc usurparunt vocabulum, vel pro Mysterio, vel pro re sacra ad Deum pertinente, vel pro re arcana et recondita, vel denique ut indicaretur per illud res sacra visibilis ac sensibilis, qua invisibilis Dei gratia confertur.

Ast ne nimis solliciti simus de nomine, spectantes rem ipsam, asserimus præcise Sacramentum esse invisibilis gratiæ visibile signum. Dicitur sane signum, quia aliud sensibus, aliud menti exhibet, menti nimirum gratiam, quæ tamen si sit exterior et respectum habeat ad carnis emundationem, inest Sacramentis Veteris Legis; sin vero ad animæ ablutionem, Novæ Legis inest Sacramentis.

4. Sacramenta Novæ Legis itaque sunt signa sensibilia, permanenter a Christo Domino instituta, ad significandam et producendam gratiam sanctificantem ex opere operato.

Tria igitur requiruntur in Sacramentis N. L. : Materia, Forma et Minister. Id est tribus hæc Sacramenta perficiuntur (ait Eug. IV, in Instructione Armenorum), videlicet, rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, et persona Ministri, cum intentione faciendi id, quod facit Ecclesia.

5. Materia est id circa quod versatur actio Ministri, scilicet res illa, qua ex Christi institutione Ecclesia utitur in Sacramentis conficiendis. Est vel proxima, vel remota.

Forma sunt verba, quæ Minister addit : quæ eadem esse debent a Christo Domino instituta; eruntque eadem, dummodo verbis idem inerit sensus.

Minister denique ille est, qui adhibita materia et forma, conficit Sacramentum.

6. Nunc quæritur :

Quot sint Sacramenta N. L. ?

Concil. Trid., can. 1, sess. 2, ait..... esse septem, nimirum Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam,

Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium.

Suntne plura, vel pauciora? Minime (Conc. Trid. loc. cit.).

Suntne omnia vera Sacramenta?

Absque ulla dubitatione (Concil. Trid. loc. cit.).

Quinam Sacramentorum effectus?

Omnia N. L. Sacramenta gratiam conferunt sanctificantem scilicet et sacramentalem. Baptismum præterea, Confirmatio et Ordo imprimunt characterem in anima, id est signum quoddam spirituale et indelebile, unde ea iterari non possunt.

7. His generatim præmissis, ad nostram pressius thesim revertentes, quærimus utrum Pœnitentia sit vere ac proprie unum ex septem Sacramentis N. L. a Christo Domino institutum, ad delenda peccata post Baptismum commissa.

Novatores sæcul. XVI, ex illo systemate de sola fide justificante, quæ dum per Sacramenta excitatur, vim habet ut non imputantur peccata illa, quibus homo inquinatus est, deducunt Pœnitentiam non esse vere ac proprie dictum Sacramentum, sed tantum Recordationem Baptismi.

Nos autem Ecclesiam consectantes Catholicam, probavimus jam peccata hominum vere remitti per Baptismum et gratiam sanctificantem; ideo nunc asserimus Pœnitentiam esse alteram naufragii tabulam post Baptismum, esse vere Sacramentum ac omnino distinctum ab ipso Baptismo. Proindeque contra illos sit

PROPOSITIO:

PŒNITENTIA EST VERE AC PROPRIE NOVÆ LEGIS SACRAMENTUM, A CHRISTO INSTITUTUM AD DELENDA PECCATA POST BAPTISMUM COMMISSA, A SACRAMENTO BAPTISMI DISTINCTUM.

8. Et re quidem vera, illud dici debet vere ac proprie Sacramentum: 1° quod est signum sensibile; 2° a Christo Domino institutum; 3° quod confert divinam gratiam.

Atqui hæc omnia præstat Pœnitentia.

Nomen Pœnitentiæ itaque in primis a pœnitet, vel punitione pœna est; et accipi solet vel pro virtute, id est animi dolore, quem quisque experitur ad aliquod malum patratum, vel pro Sacramento reconciliationis, aut pro Baptismo laborioso, aut pro secunda post naufragium tabula, et tunc definitur: Sacramentum Novæ Legis, a Christo Domino institutum, quo per juridicam Sacerdotis absolutionem, homini contrito et confesso remittuntur peccata post Baptismum commissa.

9. Et hoc in postremo sensu accepta, Pœnitentia est vere ac proprie Sacramentum.

Est profecto signum sensibile; adest enim ex una parte peccatorum confessio in pœnitente, ex altera absolutio a Sacerdote.

Atqui hæc duo utique sensibilia sunt.

10. Est a Christo Domino institutum. Christus revera, cum a mortuis fuerit excitatus, insufflavit in discipulos suos, dicens: « Accipite Spiritum Sanctum.

Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: et quorum retinueritis, retenta sunt » (Joan., 20, 22-23).

Atqui Divinus Magister hic confert Apostolis promissam illam potestatem, de qua loquitur Matth., c. 18, v. 18: « Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo; et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo. » Id est quæcumque Apostoli et eorum successores ligaverint, aut solverint, seu interius in foro conscientiæ absolvendo, aut retinendo peccata, soluta sint, aut ligata in cœlo. Sed in hujusmodi potestate absolvendi atque ligandi Sacramentum Pœnitentiæ consistit; et in hujusmodi potestatis collatione ejus institutio: ergo hoc nostræ salutis Mysterium est a Christo Domino institutum.

11. Confert gratiam divinam: et jure; nam dicitur in institutione hujus Sacramenti: « Quorum remiseritis peccata, quorum retinueritis, quorum alligaveritis, quæcumque solveritis. » Atqui jam in alia præcedenti disceptatione probavimus peccata non posse remitti sine gratia.

Ergo Pœnitentiæ Divinum Arcanum confert gratiam divinam.

12. Ergo Pœnitentia est signum sensibile, est a Christo Domino divinitus instituta, confert gratiam divinam; ergo est vere ac proprie dictum N. L. Sacramentum.

13. Unde apposite S. Trid. Synodus sic in sess. 14, can. 1, sancivit: « Si quis dixerit in Catholica Ecclesia Pœnitentiam non esse vere et proprie Sacramentum pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis a Christo Domino institutum, anathema sit. »

14. Et merito ita Concil. Trid. in themate edixerit; quia sana et non interrupta traditio id continuo in Ecclesia propugnavit. Huic categoriæ profecto recensentur omnes illi Patres, qui adversus Montanistas et Novatianos tuentur illimitatam potestatem dimittendi peccata a Christo concessam, post Baptismum commissa.

Ait præ cæteris August., libr. 2 de Adulter. conjugiis, cap. 16: « Si a catechumeno factum est homicidium, baptismate abluitur; si a baptizato, pœnitentia et reconciliatione sanatur. »

Recensentur omnes illi Patres, qui extollunt hac causa sacerdotalem potestatem. Audiatur in re S. Ambrosius, de Pœnitentia, libr. 1, cap. 8, comparans Pœnitentiæ Sacramentum Baptismo, ita Novatianos compellit: « Cur baptizatis, si per hominem peccata remitti non licet? In Baptismo enim utique remissio peccatorum omnium est: nec interest utrum per Pœnitentiam, an per lavacrum hoc jus sibi datum Sacerdotes vindicent; unum in utroque ministerium est. »

Recensentur omnes illi Patres, qui non modo hoc propugnant Sacramentum, quinimo inculcant confessionem.

Praxis Ecclesiæ liturgica, sive Orientalis, sive Occidentalis, hanc concludit veritatem.

Eumdem deducit numerum septenarium Sacramentorum, inter quæ Pœnitentia numeratur, et de qua ait Concil. Florent, in Decreto ad Armenos: « Quartum Sacramentum est Pœnitentia. »

15. Unde ex unanimi ac perpetua consensione omnium Ecclesiarum populorumque recte deducitur,

expositæ doctrinæ veritatem repetendam esse a primæva Apostolorum doctrina.

16. Quibus præmissis, tempus frustra teris, si in recitatis testimoniis Scripturæ, afferas Christum tantummodo contulisse Apostolis missionem prædicandi Evangelium.

Nam ex illis collatione facta, nulla exsurgit contradictio neque difficultas, et semper in firmitate nostra remanet propositio, ex eo quod in hoc sensu ab Ecclesia interpretationem habuere, uti videre est in Conc. Trid., sess. 14, can. 3, quod anathemate ferit unumquemque qui verba Salvatoris : « Accipite Spiritum Sanctum..... » detorserit contra institutionem hujus Sacramenti (Pœnitentiæ) ad auctoritatem prædicandi Evangelium.

Idemque dicendum est de Patribus, qui utique adscribunt remissionem omnium peccatorum Baptismo, ut causæ remotæ, cum sit Baptismum principium,a quo nostra dependet salus, non vero veluti causæ proximæ et formales, ita ut excludant posse peccata remitti per Pœnitentiæ ministerium.

Remanet igitur quod hoc sit vere ac proprie Sacramentum.

17. Et jure ; nam posito quod Christus mortuus sit ad faciendam pro omnibus redemptionem, finem non assequeretur suum neque ex parte sui, si Pœnitentia non esset Sacramentum ; et peccatores omnes post Baptismum in desperatione agerentur. Atqui est absurdum, quod Christus finem non obtineat propositum, atque adigat in desperationem peccatores : is enim melius vult ut convertantur et vivant : ergo Pœnitentia est vere ac proprie Sacramentum.

18. Nunc quæritur : Estne distinctum a Baptismo? Lutherus, lib. de Captivit. Babyl., scribens periculosum, imo falsum esse opinari Pœnitentiam esse secundam tabulam post naufragium, et perniciosum esse putare per peccatum excidisse vim Baptismi, et navem hanc esse illisam ait, ad delenda peccata post Baptismum perpetrata nullum esse Sacramentum admittendum, ac sufficere solam fidem cum recordatione Baptismi jam suscepti.

Calvinus, libr. 4 Institut., cap. 15, n. 4, vult Pœnitentiam esse ipsum Baptismi Sacramentum.

Nos vero cum Catholica Ecclesia tenemus Sacramentum Pœnitentiæ esse distinctum a Sacramento Baptismi.

19. Rationes autem hujus distinctionis luculenter producit Conc. Trid., sess. 14, c. 2. Hinc, potius quam nostras in re dicamus considerationes, juverit S. Synodi in medium verba ipsa proferre : « Cæterum hoc Sacramentum (Pœnitentiæ) multis rationibus a Baptismo differre dignoscitur; nam præterquam quod materia et forma quibus Sacramenti essentia perficitur, longissime dissidet, constat certe Baptismi ministrum judicem esse non oportere..... sed ante hoc tribunal (Pœnitentiæ), tanquam reos, sisti voluit; ut per sacerdotum sententiam non semel, sed quoties ab admissis peccatis ad ipsum pœnitentes confugerint, possent liberari. Alius est præterea Baptismi, alius Pœnitentiæ fructus. » Et sic deinceps.

20. Hinc S. Leo Magnus, in Epist. 107, ad Theodorum, Forojuliensem Episcopum, ait : « Multiplex misericordia Dei ita lapsis subvenit humanis, ut non

solum per Baptismi gratiam, sed etiam per Pœnitentiæ medicinam, spes vitæ renovetur æternæ. »

Atqui si Pœnitentia non esset Sacramentum distinctum a Baptismo, per eam dari non posset medicina, in qua spes vitæ æternæ renovaretur.

Ergo Pœnitentia est verum ac proprie dictum Novæ Legis Sacramentum, a Christo Domino institutum ad delenda peccata post Baptismum commissa, et est distinctum a Baptismo.

21. Ergo nullum datur peccatum, quod non possit remitti per Pœnitentiæ Sacramentum, quamvis grave.

22. Hic tamen disputari solet de Materia, de Forma et de Ministro hujus Sacramenti.

Et præcise asserimus solos sacerdotes esse ministros hujus Sacramenti, formam consistere in illis verbis : « Ego te absolvo a peccatis tuis. »

Materiam denique remotam, sive necessariam, sive liberam, eam esse circa quam versatur Sacramentum.

Materia autem proxima sunt actus pœnitentis, id est, contritio, confessio et satisfactio (Conc. Trid., sess. 14, cap. 2, can. 3).

23. De Contritione.

Contritio in primis, aiente cit. S. Synodo, sess. 14, cap. 4, est animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero.

Qui dolor 1° interior esse debet, 2° supernaturalis, 3° universalis, 4° super omnia, 5° ex natura sua, id est in actu primo efficax.

Contritio insuper est vel perfecta, quatenus charitate perficitur, vel imperfecta, quæ attritio nuncupatur, quatenus vel ex turpitudinis peccati considera-

tione, vel ex gehennæ, aut pœnarum metu communiter concipitur.

24. Hinc contritio perfecta ex charitate intensa cum voto confessionis pœnitentem plene justificat.

25. Hinc ad Pœnitentiæ Sacramentum contritio charitate perfecta non requiritur.

26. Hinc attritio est verus et utilis dolor ac præparat ad gratiam, non vero facit hominem magis hypocritam ac magis peccatorem, neque est dolor coactus, sed liber ac voluntarius.

27. De Confessione.

Confessio est accusatio sacramentalis peccatorum post Baptismum commissorum, facta sacerdoti ad illorum remissionem virtute clavium obtinendam. Accusatio, hinc non pura narratio post Baptismum commissorum, hinc illa antea Pœnitentiæ Sacramento non subsunt.

Sacerdoti, quia huic tantum a Christo Domino est collata potestas.

Qui officio fungitur Judicis, Doctoris ac Medici.

Confessio denique et Vocalis et Integralis esse debet.

28. De Satisfactione.

Hoc nomine satisfactionis venit actio illa, qua injuriam Deo nostris peccatis illatam, quantum possumus compensare conamur, ac proinde illius justitiæ satisfacere.

Remittitur enim per absolutionem a Domino omnis culpa, quin universa pœna etiam condonatur. Sess. 14, cap. 8, ait Concil. Trid. : « Ideoque debent Ministri pœnitentias salutares et convenientes satisfactiones

pœnitentibus injungere, quæ tamen sunt opera satisfactionis privata. In Ecclesia vero etiam publica dabatur Pœnitentia, de qua aliquod breviter dicere certe hic operæ pretium erit.

Unde

APPENDIX.

DE PUBLICA PŒNITENTIA.

29. Circa publicam pœnitentiam, qualis esset Catholicæ Ecclesiæ priscis temporibus austeritas, facile eruitur ex verbis Tertulliani (de Pœnitentia, cap. 9), in quibus doctissimus Scriptor describit pœnitentiæ publicæ naturam, insimulque modum illam applicandi.

30. Initio sane hæc publica pœnitentia peracta fuit, nullis certis definitis spatiis atque solemniis; eaque tota erat posita in ejectione ab Ecclesia, laboriosisque operibus, quæ rei criminum suscipere cogebantur.

Post vero schisma Novatianum, qui dicebant non esse Ecclesiæ graviora peccata dimittendi potestatem, ritus fuere determinati, certaque solemnia ac spatia pœnitentiæ fuere constituta.

31. Hinc quatuor pœnitentiæ gradus: fletus, auditio, substratio, consistentia.

1° Flentes, qui cinere scilicet aspersi atque cilicio, extra Ecclesiam in porticu commorantes, sua crimina publice confitebantur;

2° Audientes, qui scilicet Ecclesiæ ingressi narthecem, cum catechumenis verbum Dei audiebant;

3° Substrati, qui intra Ecclesiæ ambitum in genua provoluti, manuum impositionem sub certis precibus accipiebant;

4° Consistentes, qui cum fidelibus in Ecclesia consisterent precesque funderent.

32. Nunc quæritur 1° a quo tempore usus publicæ pœnitentiæ in Ecclesia invaluerit?

Facile est reponere, hunc usum circa substantiam Apostolorum ævo invaluisse, uti constat ex illo publico incestuoso Corinthio, quem Paulus tradidit Satanæ.

Quoad autem ejus ritum ordinatumque usum per gradus recensitos, hæc disciplina nonnisi post medium tertium sæculum venit.

33. Quæritur 2° quandonam hæc publica pœnitentia in desuetudinem abierit? Tempore Nectarii, Patriarchæ Constantinopolitani, in Oriente : cujus exemplum etiam reliquæ Græcorum Ecclesiæ brevi secutæ sunt.

In Occidente autem vetus illa disciplina diutius stetit, donec sæculo XII fere ubique obsolevit, et ejus mutatæ disciplinæ causæ fuerunt canonicæ pœnitentiæ commutatio cum certis precibus et corporis flagellis, cum pecunia collata in pauperes, aliisque piis usibus.

34. Quæritur 3° ob cessationem severioris disciplinæ circa publicam pœnitentiam, reprehendi ne possit Ecclesia, perinde ac si minus sapienter se gesserit?

Minime; nam consultum Ecclesia duxit illum severitatis remittere rigorem.

Vel quia aliquod grave scandalum evenire per publicam pœnitentiam soleret (Socrat., Hist. Eccles., v. 10; Sozom., 8, 16).

Vel quia aliquem pœnitentem in desperationem adducerent sacerdotes, si nimia uterentur austeritate,

vel illius utilitati parum consulerent, si nimis commiseratione indulgerent; vel denique quia non omnes Christiani, cursu temporis, his pœnitentiis habiles essent, et charitas plurimorum frigescere cœpisset.

35. Sed hic juverit verba Leonis, Epist. 168, ad Episcopos Campanos, in themate audire : « De Pœnitentia, ait, quæ a fidelibus postulatur, ne de singulorum peccatorum genere libello scripta professio publice recitetur : cum reatum conscientiarum sufficiat solis sacerdotibus indicari confessione secreta. Quamvis enim plenitudo fidei videatur esse laudabilis, quæ propter Dei timorem apud homines erubescere non veretur, tamen quia non omnia hujusmodi sunt peccata, ut ea qui pœnitentiam poscunt non timeant publicare, removeatur tam importabilis consuetudo, ne multi a pœnitentiæ remediis arceantur, dum aut erubescunt, aut metuunt inimicis suis facta reserari, quibus possint legum constitutione percelli : sufficit enim illa confessio, etc. »

Ergo Ecclesia Catholica bene se gessit in severitatis relaxatione circa publicam pœnitentiam.

36. Hisque breviter delibatis, finem facimus huic quoque disceptationi : diximus enim de Pœnitentiæ vere ac proprie N. L. Sacramento, a Christo Domino instituto ad delenda peccata post Baptismum commissa; insimulque sermonem egimus de præcipuis veritatibus, quæ sunt huic Sacramento relativæ, deque ejus partibus, aliquid addentes de publica Pœnitentia; quæ omnia in votis erat demonstrare.

DE SACRAMENTIS.



II

DE MATRIMONIO.



THESIS 18ᵃ.

Utrum Matrimonium sit vere ac proprie unum ex septem Legis Evangelicæ Sacramentis, a Christo Domino institutum, et utrum sit Ecclesiæ potestas constituendi impedimenta illud dirimentia?



1. Inter argumenta quæ a Doctoribus in re theologica exponi non modo solent, quinimo diligenter examinari, minimum quidem non est illud, quod de vera Matrimonii natura, legitimitate et sanctitate pertractat. Quid enim est homini tot vitæ hujus miseriis afflicto, quod solatium afferat, nisi sanctitas familiæ? Quod est, quod societati pacem tribuere possit, nisi sanctitas civium? Quid est, quod veræ Christi

Ecclesiæ ordinem tranquillitatemque conferre valeat, nisi sanctitas fidelium?

Ex Matrimonio scilicet hujusmodi sanctitatis originem ducere debent. Ex eo nimirum exsurgit familia, ex familiis societas, ex societatibus prima societas, Ecclesia.

Unde optime Angelicus Thomas, tum in 4, dist. 34, quæst. 1, art. 1, ad 4, tum in 4 contra Gentes, c. 78, ait : « Humanam generationem, quæ ex Matrimonio pendet ad tria potissimum ordinari : nimirum ad perpetuitatem speciei, ad perpetuitatem boni politici, ad perpetuitatem Ecclesiæ. »

2. De hoc honorabili connubio igitur nostrum in præsenti est sermonem instituere.

Et ut ordo in pertractatione servari possit, animadvertimus nos in primis aliquod in genere dicere de Matrimonio, ac deinde veluti per corollaria deducere inesse Ecclesiæ veram potestatem constituendi impedimenta Nuptiarum dirimentia; denique rationibus probare inconcussis illud vere ac proprie esse unum ex septem Sacramentis Legis Evangelicæ.

Hinc statim disquisitionis sit initium.

3. Maris et fœminæ conjunctio in se est juris naturæ et gentium (l. 1, § 3, ff. de Instit. et Jure). Tamen tractu temporis formam aliquam recepit, et ex ipsa denominationem specialem habuit.

4. Hinc Matrimonium tripliciter spectari potest : 1° prout officium naturæ; 2° prout Sacramentum; 3° prout contractus civilis.

Quatenus officium naturæ est conjunctio maris et fœminæ et consortium omnis vitæ, divini et humani

juris communicatio (Modest., l. 1 de Ritu Nuptiarum).

Vel conjunctio maris et fœminæ individuam consuetudinem retinens.

Quatenus contractus civilis est conjunctio maris et fœminæ, individuam consuetudinem retinens, secundum leges civiles.

Quatenus Sacramentum est conjunctio maris et fœminæ, individuam retinens consuetudinem, secundum leges ecclesiasticas.

Vel melius est Sacramentum Novæ Legis, quo significatur conjunctio Christi cum Ecclesia, et gratia confertur ad sanctificandam viri et mulieris legitimam conjunctionem, ad uniendos arctius conjugum animos, atque ad prolem pie sancteque in virtutis officiis et fide Christiana instituendam.

5. Prout naturæ officium, bonum ac honestum est et solo consensu perficitur.

Prout contractus civilis oportet ut concurrant in eo ineundo ea, quæ civiliter et politice requiruntur, scilicet solemnitates civiles, pacta dotalia, traductio sponsæ in ædes sponsi, etc. Et nimirum ad ea dirigenda jus civile statuitur, simul ac ad successiones ex matrimoniis obvenientes.

Prout Sacramentum denique, quia Christus idem naturæ officium, id est eumdem naturalem contractum ad dignitatem sacramentalem evexit et gratiam adjecit. Unde fit ut nulla divisio adsit inter contractum naturalem et Sacramentum.

Hinc 1° cum lex naturæ fundamentum habeat in lege æterna divina, et lex æterna divina pro suo in-

terprete teneat Ecclesiam, profluit uni Ecclesiæ hoc jus competere.

Hinc 2° Ecclesiæ est jus originarium proprium atque exclusivum leges circa Matrimonium ponere, impedimenta matrimonii dirimentia constituere.

Hinc 3° potestas civilis abutitur, cum hujusmodi impedimenta, vel sine auctoritate Ecclesiæ in medium proferat, vel contra Ecclesiæ auctoritatem constitutam dispenset.

Hinc 4° cum circa res externas Matrimonii aliquid effecerit auctoritas civilis, functa est officio suo.

Hinc 5° ad judices ecclesiasticos causæ pertinent matrimoniales.

6. Sed his considerationibus, relate ad secundam nostræ propositionis partem breviter delibatis, nunc disserendum est prolixius de prima parte, et illico quæritur :

« Utrum Matrimonium sit vere ac proprie unum ex septem Legis Evangelicæ Sacramentis, a Christo Domino institutum? »

7. Et etiam hic omnium veritatum contradictores sua placita in contrarium ponunt. Nihilominus, quia obsoletæ jam sunt Gnosticorum, Saturnianorum, Manichæorum aliorumque impiorum sectæ, quæ uti ex malo principio nuptias a diabolo invectas, veluti malas damnabant, in nostra proinde thesi tantummodo Protestantes impugnare debemus, qui, quamvis Matrimonii sanctitatem et divinam institutionem agnoscant, tamen negant illud a Christo ad Sacramenti dignitatem evectum fuisse.

Lutherus profecto aiebat Matrimonium non esse

Sacramentum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum.

Calvinus, lib. 4 Instit., c. 19, n. 34 : « Matrimonium, inquit, quod ut a Deo institutum fatentur omnes, ita pro Sacramento datum, nemo usque ad Gregorii tempora viderat. »

Sunt tamen inter ipsos Novatores, qui ut fucum faciant et fallant incautos, Matrimonii nomen et appellationem non recusant; at Sacramentum non proprie et stricte pro signo efficaci et practico, sed late et improprie pro simplici signo usurpant. (Ita Spolatensis, lib. 5 de Republ. Eccles., c. 11, n. 28 et seqq.)

8. Sed quidquid in contrarium sentiant cujuslibet generis impii, nos Sacramenti hujus veritatem in vero ac stricto sensu vindicandam assumimus, ac proinde contra hos omnes hanc statuimus propositionem :

MATRIMONIUM VERE AC PROPRIE EST UNUM EX SEPTEM NOVÆ LEGIS SACRAMENTIS, A CHRISTO DOMINO INSTITUTUM.

9. Quæ propositio de fide est, et nos eam demonstramus hoc ex uno generali argumento.

Illud inter dogmata catholica habendum est, quod a Deo immediate est in Scripturis revelatum, ab Ecclesia expresse propositum, et in traditione confirmatum.

Atqui quod Matrimonium sit vere ac proprie unum ex septem Legis Evangelicæ Sacramentis, a Christo Domino institutum, immediate a Deo in Scripturis revelatur, ab Ecclesia expresse proponitur, a traditione denique confirmatur. Ergo.....

Quod luculenter apparebit in ipsius disceptationis per partes evolutione.

10. Ait sane in primis Concil. Trid., sess. 24, can. 1 : « Si quis dixerit Matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem legis Evangelicæ Sacramentis, a Christo Domino institutum, sed ab hominibus inventum, neque gratiam conferre, anathema sit. »

Quam quidem veritatem ab Ecclesia expresse propositam, Scripturæ aperte innuunt, traditio docet, perpetua Ecclesiæ praxis confirmat.

11. Tria revera requiruntur ad Sacramentum N. L. constituendum :

1° Ut sit a Christo Domino institutum;

2° Ut sit symbolum rei sacræ;

3° Ut habeat promissionem gratiæ sanctificantis.

Quæ omnia in canone Conc. Trid. cit. relate ad Matrimonium inveniuntur. Ait sane : « Matrimonium..... a Christo Domino institutum. » Hoc enim ad mentem Sacræ Scripturæ, tum V., tum N. Testamenti.

Legitur profecto, Genes., 2, 18 : « Dixit quoque Dominus Deus : Non est bonum esse hominem solum, faciamus ei adjutorium simile sibi. »

Et hic advertit S. August., lib. 9 de Genes. ad litteram, c. 17 : « Nulla in re alia esse viro necessarium fœminæ adjutorium, nisi in procreatione et educatione liberorum. »

Atqui hæc procreatio, educatio liberorum non esset secundum legem divinam, nisi legitime vir et fœmina insimul copulati per illud mutuum vinculum, in quo consistit essentia Matrimonii.

Ergo quis inficiari potest in illo capite Deum Matrimonium instituisse? Prosequitur revera in eod.

cap. 2, 24 : « Quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhærebit uxori suæ; et erunt duo in carne una. »

Quapropter ipsius naturæ auctor, Deus, in Paradiso voluptatis Matrimonium instituit, ei normas fecit fecunditatemque illi tribuit.

Vix enim mulier condita est, seu ædificata ex viri dormientis costa et Adæ est oblata, statim Adam in illis erupit verbis : « Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea. » Quibus verbis indissolubilis ac perpetuus conjugii nexus (adnotante Conc. Trid., sess. 24, cap. 1, de Matrimonio) significatur. Quod Christus peroptime explicat et dat rationem Sacramenti, in illis verbis Matth. : « Quod Deus conjunxit, homo non separet. » Et Paul., 1 Corinth., 7 : « Qui Matrimonio jungit virginem, bene facit. »

12. Quæ testimonia sacra insimul luculenter demonstrant conjugium hujusmodi esse a Deo in V. Testamento institutum, et in N. Testamento a Christo Domino confirmatum elevatumque ad Sacramentum.

13. Aiunt revera Patres Ephesini Christum dispensatorem ipsis tunc benedixisse nuptiis, cum in Cana Galilææ cum Sanctis vocatus Apostolis, adesse dignatus est.

Ergo tunc Christus nuptias a Deo institutas confirmavit, elevavitque eas ad Sacramenti dignitatem illasque sua cohonestavit præsentia.

14. Idem repetit S. Epiphanius, Hæres., 6, 7 : « Venerabiles esse nuptias, inquit, ac Dei aspirante gratia cœleste regnum obtinere, quis vel ex eo non cognoscat, quod ad nuptias invitatus Salvator ipse fuerit, ut his benediceret? »

Ergo quis de hujusmodi a Deo facta institutione, a Christo ad Sacramentum elevatione ulterius dubitabit?

15. Matrimonium est signum sensibile rei sacræ, ac proinde non civilem contractum solum, sed etiam mysterium quoddam et Sacramentum. Ex cap. 5 Epist. ad Ephes. : « Sacramentum hoc magnum est, ego dico in Christo et in Ecclesia. »

Atqui illa conjunctio viri et fœminæ magnum est mysterium et Sacramentum, sub quo latet Christi et Ecclesiæ indissolubilis conjunctio. Nam Christus quodammodo reliquit Patrem, ut ipse ait : « Exivi a Patre, et veni in mundum ; » reliquit et Matrem, aut Synagogam, ut Ecclesiæ tamquam uxori adhæreret, ita ut arctissimo amoris vinculo et nexu indissolubili conjuges inter se sint.

16. Peroptime hic S. Hieronymus hujus loci in Comm. explicat de conjugio Adami et Evæ : « Idipsum, inquit, per allegoriam in Christo interpretatur et in Ecclesia, ut Adam Christum et Eva præfiguraret Ecclesiam. » Idem et Gregorius Nazianzenus.

Ergo Apostolus in illo testimonio exhibet Matrimonium ut Sacramentum, seu signum ac repræsentationem unionis Christi cum Ecclesia.

Ergo Matrimonium est signum sensibile rei sacræ.

17. Evidenter profecto et sublimiter id exprimit S. Hieronymus, in cap. 5 ad Ephes. : « Recte, inquit, ab Apostolo Matrimonium dicitur honorabile connubium : quoniam in baptizatis signum est conjunctionis Christi cum Ecclesia, propter quam Dominus Patrem suum Deum reliquit et venit ad terras, sicut de homine dictum est : « Relinquet homo patrem suum et

« matrem, et adhærebit uxori suæ. » (Sic et Estius in 4, dist. 26, § 5.)

Ergo Matrimonium est symbolum unionis Christi cum Ecclesia : ergo est signum sensibile rei sacræ.

18. Et jure ; nam signum illud dicitur, quod præter ideam sui, alterius exhibet ideam ; et hic conjunctio Christi cum Ecclesia honorabile connubium Matrimonii repræsentat.

Dicit sane Chrysost., Hom. 50 in Genesim : « An non audis Paulum dicentem Sacramentum esse nuptias et imaginem dilectionis Christi, quam erga Ecclesiam exhibuit? »

19. Habet denique Matrimonium promissionem gratiæ sanctificantis.

Colligitur primum ex illo ipso cap. 5 ad Ephesios : nam inibi non modo docemur Matrimonium esse signum conjunctionis Christi et Ecclesiæ per naturæ conformitatem, sed etiam per spiritualem charitatem, qua Christus Ecclesiam diligit et sancte gubernat ; et ipsa Ecclesia Christo adhæret per fidem, spem et charitatem, eique per obedientiam. Ait enim S. Paulus : « Ecclesia subjecta est Christo, et Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut eam sanctificaret. » Ubi Apostolus non semel monet ut viri uxorem diligant, veluti Christus dilexit Ecclesiam, et mulieres obediant viro, ut Ecclesia obedit Christo. » Idem Paulus ad Ephes., 5, 24 : « Sed sicut Ecclesia subjecta est Christo, ita et mulieres viris suis in omnibus. » V. 26 : « Ut illam (Ecclesiam) sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ. »

Ergo Matrimonio inest promissio gratiæ sanctificantis et justificantis.

Quod deducitur etiam ex eodem Apostolo, 1 Timoth., v. 2, et 1 Corinth., 7, v. 14.

Ergo ex S. Litteris, sive V. Testamenti, sive N. eruitur Matrimonium esse a Christo Domino institutum, signum sensibile rei sacræ, habens promissionem gratiæ sanctificantis.

Atqui hæc tria constituunt vera extrema essentialia Sacramentorum Novæ Legis : ergo Matrimonium est vere ac proprie unum ex septem Sacramentis, a Christo Domino institutum.

20. Quod autem Scriptura luculenter innuit, sana et non interrupta traditio expresse docet.

At, cum nos fere in singulis Matrimonii Sacramenti extremis constitutivis speciatim Patrum auctoritatem retulimus, hic generatim quædam horum testimonia breviter in medium proferemus.

21. Sancti ipsi Doctores in primis præcipuum probationis argumentum ex eo petunt, quod apud Christianos Matrimonium semper locum habuerit inter res sacras religionis, certo ritu a ministris Ecclesiæ celebrandas.

S. Ignatius nimirum, vir Apostolicorum temporum, in Epistola ad Polycarpum : « Decet, inquit, ut sponsi et sponsæ de sententia Episcopi conjugium faciant : quæ nuptiæ sint secundum Dominum, et non secundum cupiditatem ; omnia ad honorem Dei fiant. » Jam vero si Matrimonia apud Christianos profana essent, cur necessaria sententia Episcopi ?

(Item S. Justinus Martyr, in Dialog. cum Tryphone; Tertullian., libr. 2 ad uxorem, et libr. de

Pudicitia, cap. 4; S. Clemens Alexandr., libr. 3 Pædagog.)

Et sic de aliis Patribus in sæculis subsequentibus. Hinc audebit nunc Lutherus concludere Matrimonii Sacramentum esse ab hominibus inventum!

22. Alterum argumentum petitur ex monumentis veterum, qui vocant Matrimonium stricto sensu Sacramentum.

S. Ambros. scilicet, lib. 1 de Abraham, cap. 7: « Cognoscimus, inquit, præsulem custodemque conjugii esse Deum, qui non patiatur alienum thorum pollui; et si quis fecerit peccare eum in Deum, cujus legem violet, gratiam solvat. Et ideo quia in Deum peccat, Sacramenti cœlestis amittit consortium. »

Idem et plerumque asserit S. Aug. huc illuc in suis scriptis, et post eum Pontifices et Concilia.

23. Tertium denique argumentum ex illis Patrum testimoniis petitur, a quibus agnoscitur Matrimonio esse adnexam gratiæ promissionem.

S. Ambros. revera, et cum ipso Patres Concilii Mediolanensis, in Epist. ad Siricium Pontificem: « Non negamus, inquit, sanctificatum esse a Christo conjugium, divina voce dicente: « Erunt ambo in una « carne et uno spiritu. »

Item S. Cyrill. Alexandr. (Comm. in Joan. Evang., libr. 2).

Item S. August. in libr. de Bono conjugali, et alii omnes.

Jam vero quomodo gratiæ sanctificantis promissio posset in Matrimonio agnosci, si Matrimonium profanum esset?

Et in hac justificanti et sacramentali gratia nimirum Conc. Trid. innixum, in sess. 24, can. 1, de Matrimonio effectus ipsius gratiæ in conjugio enumerat.

Ergo ex universali Patrum Conciliorumque unanimi voce concluditur Matrimonium esse vere ac proprie unum ex septem N. L. Sacramentis.

24. Quod Traditio unanimiter docet, praxis Ecclesiæ Catholicæ semper et constanter tenuit.

De Ecclesia Occidentali profecto fidem faciunt Eugen. IV, in Decret. seu Instruct. pro Armenis, et ante Eugenium, Concilium Constantiense; ante Constantiense, Lucius III, in Decret. contra hæreticos; ante Lucium, Gregorius Papa, uti fatetur ipse Calvinus, Instit., libr. 4, c. 19, § 34; ante Gregorium, sacramentalia et rituales libri, ante VII sæculum exarati, qui inter septem Sacramenta Matrimonium recensent, quosque Martenius exhibet (de Antiq. Eccles. Ritib., lib. 1, part. 2, c. 9, q. 5).

Quæ omnia inde in compendium reduxit Conc. Tridentinum.

25. De Ecclesia Græca fidem facit Hieremias Patriarcha, in Confessionis Augustanæ censura, data in fine sæculi XVI, ubi nomine totius Ecclesiæ Græcæ profitetur septem esse in Ecclesia Sacramenta, a Christo Domino instituta, et disserens de Matrimonii Sacramento, ait divinum Sacramentum esse atque unum ex illis septem, quæ Christus et Apostoli Ecclesiæ tradiderunt.

Post hæc quisnam asserere audebit Matrimonii Sacramentum esse in sæculis deinde ab hominibus inventum?

Ex Scriptura igitur, tum V., tum N. Testamenti, ex Traditione, ex Ecclesiæ praxi universali luculenter constat Matrimonium vere ac proprie esse unum ex septem N. L. Sacramentis, a Christo Domino institutum.

26. His positis et consideratis, ex se facillime collabuntur futiles Novatorum somniationes aientium, nihil erui ex Scriptura posse de Matrimonii Sacramento; nam jam vidimus ex permultis locis id concludere licitum esse, quinimo necessarium.

Quod si vero aliquo in modo in Sacris Litteris hoc deficere videatur, a Traditione huc illuc suppleri indubium est.

Nam si Patres interdum vagis locutionibus usi sunt, non ex hoc excluditur semper illos fuisse locutos ad sensum et Ecclesiæ praxim.

Utique verum est sæpe loqui latiori sensu, sæpissime tamen strictiori latius enim se exprimunt, cum alludant ad illud Paulinum testimonium; et jure : certum deliberatumque est conjugium Adæ cum Eva reipsa fuisse figuram et signum conjunctionis futuræ Christi cum Ecclesia. Atqui hæc figura in omnibus reperitur matrimoniis. Ergo in matrimoniis Hæbreorum; ergo merito in istis eam Patres latiori sensu prædicarunt, strictiori tamen cum sermonem habuerunt de Matrimonio Christiano.

27. Quod autem mirum et intolerandum est, ut adversarii asserant, S. Aug. in themate pro ipsis militare. Nam S. Doctor, cum vocabulo Sacramenti circa Matrimonium usus fuerit, semper in proprio sensu locutus est, uti videre est in libr. de Genes. ad litter.,

cap. 7, in libr. de Fide et Operibus, in libro de Sancta Virgine, in libr. de Nuptiis, aliisque in locis.

Et si etiam improprie vocabulo Sacramenti utatur, peroptime sensum, quo locutus est, explicat, exemplum habes in libr. 2 de Peccat. Merit. et Remiss., cap. 26.

Hinc animadvertendum S. Doctorem suis in operibus non probare Matrimonium esse Sacramentum, sed id assumit tamquam certum ad probandum Ecclesiæ dogma, videlicet quod Matrimonii vinculum sit prorsus indissolubile.

28. Ulterius in refellendis futilibus adversariorum objectionibus non moramur, nam iisdem gravioribus auctoribus parvi momenti esse videntur; proindeque potius quam in illis inutiliter tempus teramus, toto animo exhortamur Novatores vias iniquitatis relinquere, et cum Ecclesia Catholica confiteri nostræ religionis dogmata; et hic illud explicite profiteri quod nos in præsenti disceptatione vindicare suscepimus, nimirum : Matrimonium esse vere ac proprie unum ex septem Legis Evangelicæ Sacramentis, a Christo Domino institutum, quod usque adhuc probare conati sumus.

29. Et ita finem facimus quoque huic præsenti disceptationi, insimulque Theologiæ dogmaticæ; diximus sane de hac divina scientia perplurimas veritates, et quamvis compendiose juxta propositum nostrum, præcipua pertigimus.

DE THEOLOGIA MORALI.

I

DE ACTIBUS HUMANIS ET DE CONSCIENTIA.

THESIS 19a.

1. Tria sunt consideranda in recta et Christiana hominum societate, ut quis ad vitam æternam justo tramite tendere possit, Dogma scilicet, Mores et Disciplina..... Diximus jam de dogmatibus pertractantes usque adhuc de S. Theologia. Loquemur de disciplina, cum aliquid de jure canonico inferius disputabimus. In præsenti igitur est breviter disserendum de illa scientia, quæ de vita et moribus quærit, quæque moralis Theologia solet nuncupari et definiri ratione rei : scientia, quæ humanas actiones ad morum honestatem dirigit in ordine ad vitam æternam. Quæ denique, cum originem ducat a recta ratione, a

legibus humanis et a divino verbo revelato, dici potest etiam, justi atque injusti scientia, ex his tribus derivata.

2. Nihilominus, quid nobis hic datum est juxta institutum nostrum de tam utili et ferè indefinita scientia pertingere? Vel nihil vel parum. Proindeque quatuor selegimus themata, et de his in quatuor appositis disceptationibus breviter disseremus. In 1ª nimirum loquemur de actibus humanis et de conscientia; in 2ª de vitiis atque peccatis in genere et specie; in 3ª de virtute religionis, et præsertim de voto; in 4ª demum de virtutibus theologicis. Sit igitur prima pertractatio

DE ACTIBUS HUMANIS ET DE CONSCIENTIA.

3. Sub nomine *actus* nihil aliud ex Doctorum consensu intelligitur, nisi animi motus: qui motus vel exsurgunt ex natura tantum animalì, et nuncupantur actus hominis, vel ex natura rationali scienter ac libere proveniunt, et tunc sunt actus humani, qui, uti inquit S. Thomas, 1, 2, q. 1, art. 1, « sunt proprii hominis, in quantum homo est..... quorum homo est dominus..... qui ex voluntate deliberata procedunt. »

Actus igitur humanus est actus a voluntate procedens deliberate.

4. Hinc actus proceditne a voluntate immediate? En actus elicitus. Proceditne mediate? En actus imperatus, quatenus per alias potentias ex voluntatis imperio exercetur.

Dicitur deliberate, quatenus cum advertentia rationis producitur, ideoque libere.

Qui tamen liberi humani actus vel sunt regulis boni conformes, et sunt tunc actus boni, vel difformes, et merito mali appellantur.

Tria igitur continentur in actibus humanis, quia ex natura hominis rationali proveniunt : Intellectus, Libertas, Voluntas.

5. De intellectu.

Intellectus est verum quærere deque illo judicium dare. Hinc multiplex ejus status, nimirum status dubii, opinionis, probabilitatis, certitudinis.

6. Quod si intellectus ideam non habeat, tunc exsurgit primum ejus impedimentum, id est ignorantia, quæ definiri solet carentia ideæ.

Sin de re falsum ducat judicium, tunc exsurgit alterum ejus impedimentum, scilicet error.

Qui est ex communi Doctorum simul ac ignorantia vel juris, vel facti. Et primum cum lex ignoretur, et secundum in cognitione legis, si quis nesciat factum concretum esse legi contrarium. Est vel antecedens seu invincibilis, quatenus nullimode pendet a voluntate. Est concomitans, quatenus licet abesset, æque tamen opus fieret. Est consequens, quatenus a libera voluntate procedit. Unde si directe a voluntate procedit, dicitur directe affectata; sin secus, nuncupatur indirecte voluntaria, et dispescitur in crassam et supinam.

7. De libertate.

Libertas est vis eligendi; libertas ergo excludit quamlibet necessitatem sive intrinsecam, sive extrinsecam.

Libertas alia est exercitii, alia executionis. Prima

consistit in imperio voluntatis, id est in actu ipso intimo volendi.

Altera vero consistit in actu imperato, sed externo.

Prima etiam dicitur indifferentiæ seu a necessitate naturæ, altera a coactione.

Prima est vera libertas : et in ea verificatur. præcise facultas eligendi.

Atqui optio vel electio intelligi nequit sine terminis, qui saltem duo esse debent.

Termini esse possunt vel specifice diversi, vel contrarii, vel contradictorii.

Unde triplex libertas : specificationis, contrarietatis, contradictionis.

Radix libertatis denique, uti docet S. Thomas, 1, 2, qu. 17, art. 1, ad 2, « est voluntas sicut subjectum, sed sicut causa est ratio : ex hac enim voluntas libere potest ad diversa ferri, quia ratio potest habere diversas acceptiones boni. »

8. Libertati exercitii opponitur necessitas, quæ est determinatio ad unum.

Libertati executionis opponuntur vis et metus.

Vis est majoris rei impetus qui repelli non potest. (Paulus, l. 2, off. Quod metus causa.)

Metus est instantis vel futuri periculi causa mentis trepidatio. (Ulpianus, l. 1, ff. Quod metus causa.)

Est vel ab intrinseco, quatenus res in se metum continet.

Est ab extrinseco, quem quis adhibet, ut invitis aliquid extorqueat.

Est gravis, vel levis cum grave, vel leve sit periculum, mentis trepidatio.

9. Intellectui insimul et libertâti opponuntur concupiscentia et habitus.

Per illam quis inducitur ad aliquid pravum assequendum.

Per hunc repetitis actibus, quis non advertit quod agit.

Dispescitur concupiscentia in antecedentem et consequentem, quatenus nobis invitis et insciis exoritur, vel nostra voluntate eligitur.

10. De voluntate.

Voluntas est facultas bonum appetendi. Hoc bonum duplex est vel adæquatum, vel inadæquatum. Et primum voluntatis adimplet capacitatem; proindeque voluntas hoc in sensu libera non est, e converso tamen cum de altero sermo habetur.

11. His breviter in genere consideratis, nunc quæritur : Quid est voluntarium?

Præcise reponimus cum S. Thoma, 1, 2, qu. 7, art. 1, est « id quod procedit a principio intrinseco, cum cognitione finis. »

Ab intrinseço? Ergo quod a principio extrinseco originem ducit, non est voluntarium.

Cum cognitione finis? Ergo id quod cognitionem aufert vel perturbat, non est voluntarium.

12. Est autem voluntarium, vel simplex, vel mixtum. Et primum, cum a voluntatis inclinatione solummodo procedit; et alterum, cum aliqua causa consensus voluntatem comitetur.

Hinc 1° est perfectum, cum faciamus quod absolute volumus; imperfectum seu secundum quid, quando magis velleitas, quam voluntas exhibetur.

Hinc 2° si voluntas directe et immediate imperet, nuncupatur voluntarium directum, sive in se.

Sin indirecte, constituitur indirectum voluntarium, seu voluntarium in causa, quod est : illud quod non intenditur in se, sed in alio directe volito, hoc est quod in causa vel in effectu habetur. (S. Lig., n. 8.)

Ad quod constituendum tria requiruntur : 1° ut agens potuerit atque debuerit effectus prævidere consecutos; 2° ut in manu ejus esset causam ponere vel non ponere; 3° ut causam ex qua sequitur effectus malus teneatur auferre.

13. Et ne nimis solliciti simus de aliis permultisque voluntarii distinctionibus, potius quæremus :

Quænam sint voluntarii impedimenta?

Et absque formidine de opposito reponimus esse omnia illa, a nobis jam recensita, quæ opponuntur intellectui, libertati, voluntati.

Et sane tres hujusmodi facultates ad voluntarium constituendum requiruntur; proindeque mirum non est, quod earum relativa impedimenta voluntarium auferant.

14. Et sic plane constat in quo proprie actus humanus consistat.

Sed hujusmodi actus, ut superius animadvertimus, vel procedit a voluntate consentanea ad rectam rationem, ad legem, ad voluntatem Dei, et tunc est actus moralis bonus, vel procedit a voluntate dissentanea ad rectam rationem, ad legem, ad voluntatem Dei, et tunc est actus malus. De bonitate igitur et malitia actuum humanorum in præsenti operæ pretium est aliquid disserere.

15. Fontes ex quibus actus humanus suam bonitatem et malitiam desumit sunt tres, Objectum, Finis et Circumstantiæ.

Objectum duplex est, materiale et formale.

Illud dicitur materiale, circa quod versatur actio, ex. gr., in furto est res quæ subripitur.

Formale est ratio illa quæ inclinat ac movet voluntatem, ut in objectum materiale tendat, ex. gr., sublevatio pauperum est objectum formale actus misericordiæ, quia misericordia respicit pauperem qui sublevari intenditur.

Hinc interrogationi a quonam actus desumat suam bonitatem aut malitiam, reponimus ab utroque, quamvis præcipue a formali, veluti ab eo quod reddit actum voluntarium.

16. Finis est illud cujus gratia aliquid fit, dispescitur 1° in finem operis et operantis, 2° in primarium et secundarium, 3° in intermedium et finem ultimum.

Operis, quatenus natura sua et intrinsece independenter a voluntate agentis ad opus dirigitur.

Operantis, quatenus ab agente ipso eligitur et intenditur.

Primarius, qui influit in actum ut causa efficiens.

Secundarius ille, qui allicit tantum ad agendum.

Intermedius, qui ad alium refertur, ideoque est simul finis et medium.

Ultimus denique, ad quem omnia referuntur; nam obtento eo, omnia possidentur, quæ ad hominis perfectionem expeti possunt, ex. gr., beatitudo.

17. Circumstantia denique est accidens quoddam actus moralis, quod ipsi addit moralitatem distinctam

ab ea, quam ille actus jam participat de objecto tum materiali, tum formali. Duo igitur sunt circumstantiarum extrema :

1° Ut aliquam moralitatem in actum referat.

2° Ut moralitas hæc non sit desumpta ab objecto, neque materiali, neque formali.

18. Sed quare bonitas et malitia actuum humanorum desumuntur ex circumstantiis?

Quia circumstantiæ sequuntur ordinem objectorum, et hæc esse possunt conformia aut difformia rectæ rationi : ita et circumstantiæ, ex. gr., qui nudum vestit, hoc est objectum misericordiæ, ideoque et meritorium; quod si nudus vestem recipiens, sit dantis inimicus; tunc circumstantia inimicitiæ auget meritum in dante, et sic dices de aliis innumerabilibus exemplis.

Sed observandum est :

1° Nonnullas circumstantias addere actui novam speciem bonitatis et malitiæ, alias augere illas dumtaxat, aliquas diminuere.

Observandum est 2° tunc tantum circnmstantias conferre actui malitiam vel bonitatem, cum sint prævisæ et aliquo modo intentæ. Et jure; nam non datur bonitas vel malitia actionis, nisi voluntaria.

19. Quibus positis, quæritur : 1° Quid requiratur ut actus sit bonus moraliter?

Ut actus sit secundum rectam rationem tum ex parte objecti sive materialis, sive formalis, tum ex parte finis, tum ex parte circumstantiarum. Unde omnes aiunt Doctores bonum ex integra causa..

20. Quæritur : 2° Undenam actus moralis fiat malus?

Ex malitia objecti sive materialis, sive formalis, ex

malitia finis, ex malitia circumstantiarum, sive insimul hæ malitiæ in actu conveniunt, sive una tantum ex prænotatis. Unde omnes concludunt Theologi malum ex quocumque defectu.

21. Quærimus: 3° An possit idem actus esse simul bonus et malus respectu diversorum?

Nonnulli Theologi affirmant, inter quos Joan. Cassianus, collatione 17, cap. 17 et 18; Auctor operis imperfecti in Matth., cap. 7, inter opera S. Joan. Chrys., tom. 6. Sed nos negamus, Apostolo Paulo innixi, qui, in Epist. Rom., 3, 8, aperte damnat eos, qui dicunt: Faciamus mala, ut eveniant bona.

22. Cognito igitur in quonam consistat actus humanus in suis relativis extremis, illico exsurgit

QUÆSTIO :

UTRUM ET QUANDO ACTUS HUMANUS IMPUTANDUS SIT?

Quod actus humani sint imputabiles, nulla datur dubitatio.

Remanet ergo ut videamus quando imputabiles.

Tunc reponimus esse imputandos, cum constat actus humanos ab hominis voluntate procedere scienter ac libere : nil enim volitum quin præcognitum; sed cognitio hujusmodi sufficit ut sit vel implicita, vel explicita.

Intellectus vero est æstimare quemadmodum actio imputari debeat. Intellectus sane habetur ad objectum externum tamquam forma ad materiam. Atqui forma dat esse rei; ergo et intellectus actioni, ex. gr., si quis, dum suum putat esse alienum, illud subripit,

furto erit obstrictus; contra si alienum veluti suum contrectet, non tenetur furti.

23. Nec tantum actio imputatur, sed etiam effectus: atqui actio imputatur directe vel in causa, si voluntarium fuit directum vel in causa. Idem et effectus directe vel in causa, quatenus vel directe vel in causa fuit voluntarium.

Qui tamen effectus tunc tantum imputandi, cum fuerint 1° pravi vel noxii, atque is, qui illis causam dedit, 2° debuerit atque 3° potuerit eos præcavere.

24. Diximus superius intellectum dare formam actioni; et jure : nam res, fatente Angelico Doctore, non uti sunt, sed uti visæ sunt, imputari debent. Nihilominus conscientia ipsa est in re quoque judex. Unde.....

Hic juverit aliquid de conscientia videre et primum quærere, in quonam consistat in themate conscientia; deinde quænam ejus divisio, denique relativa corollaria.

25. Hinc statim quærimus : Quid sit conscientia ?

Conscientia, secundum Angelicum Doctorem in 1 p., q. 7, art. 13, « est applicatio scientiæ ad opus aliquod particulare. » Unde a Scholasticis definiri solet: Judicium practicum rationis, quo judicamus quid in particulare sit faciendum vel omittendum. Illud scilicet judicium quod deducitur ex comparatione particulari legis et actionis.

Atqui actio duplici in modo considerari potest: vel antequam executioni mandetur, vel exsecuta. Unde conscientia optime 1° dispescitur in antecedentem et consequentem.

Sed concipi non potest conscientia sive antecedens, sive consequens, sine objecto super quod ipsa versatur, et sine subjecto cujus sit actionem peragere.

Atqui objectum potest esse vel verum, vel falsum. Unde conscientia 2° dividitur in rectam, vel erroneam.

Atqui subjectum potest aliquid judicare bonum aut malum, vel suspensum hærere circa actionis bonitatem. Unde conscientia 3° deducitur in certam, vel dubiam.

Atqui dubium propter inanem rationem in medium prolatam, potest asserere peccatum ubi non est, vel propter levem causam ibi adimere culpam ubi adest.

Ergo conscientia 4° distinguitur in scrupulosam et laxam.

Atqui motivum ex quo quis judicium efformat, potest esse vel grave, vel infirmum.

Ergo conscientia 5° est denique vel probabilis, vel improbabilis.

De singulis pauca.

26. Conscientia recta itaque a communi Theologorum solet dici illa, quæ repræsentat vere objectum sicuti in se est.

Hinc quæritur : Potestne quis semper sequi omnia, quæ præcipit conscientia recta?

Absque ulla dubitatione.

27. Conscientia erronea e contrario est illa, quæ repræsentat, uti verum, falsum objectum, et in hoc agitur vel invincibiliter, vel vincibiliter.

Hinc quæritur : Potestne quis semper sequi id, quod præcipit conscientia erronea? Utique si hæc sit in errore invincibili; minime, si in errore vincibili.

28. Conscientia certa tunc habetur, cum mens practice judicat absque formidine de opposito.

Certitudo autem triplex est : physica, metaphysica, moralis.

Certitudo conscientiæ non est physica, neque metaphysica, sed tantum moralis. Ait S. Thomas, 2, 1, q. 70, art. 2 : « In actibus humanis non potest haberi certitudo demonstrativa, eo quod sunt circa contingentia et variabilia ; et ideo sufficit probabilis certitudo, quæ ut in plurimis veritatem attingit, etsi in paucioribus a veritate deficiat. » (S. Anton., 2 part., tit. 3, c. 10, § 34.)

Atqui certitudo moralis, juxta Moralistas, esse potest vel major, vel minor : conscientia per consequens potest esse vel tuta, vel tutior.

Hinc quæritur : Conscientia moraliter certa estne regula recta morum? Affirmative, quin ex fide est (Roman., 14, 23).

29. Conscientia dubia tunc verificatur, cum inter rationes mens æqualis ponderis suspensa hæret. Dubium revera est mentis suspensio inter opposita.

Est vel positivum, vel negativum, juris, vel facti, speculativum, vel practicum.

Et positivum habetur, cum hinc inde dantur rationes æqualis momenti, vel fere.

Et negativum, si non adsint rationes, vel adsint tantummodo leves.

Et juris, cum dubitatur de lege ejusque obligatione.

Et facti, cum de aliquo particulari facto dubitatur.

Et speculativum, cum in abstracto dubitatur de bonitate, vel malitia actionis.

Et practicum, cum dubitatur de actione particulari suis cum circumstantiis in ordinem ad finem agentis, utrum sit licita, vel illicita.

Hinc quæritur : 1° In dubio speculativo potestne haberi moralis certitudo de honestate actionis?

Affirmative, quia hoc non excludit practicam hanc moralem certitudinem.

Quæritur : 2° In dubio practico de honestate actionis licetne agere?

Negative, quia agens non agit ex fide ; et quod non est ex fide peccatum est (Apost. Paul., Rom., 14).

30. Conscientia scrupulosa tunc habetur, cum practico in judicio ponitur timor, ubi non est timor; nimirum peccatum apprehenditur, ubi non est peccatum.

31. E contrario conscientia laxa, ubi est peccatum mortale frivolis rationibus vel omnino negat, vel saltem veniale renunciat.

Hinc quæritur : Potestne quis practice agere cum conscientia scrupulosa, vel laxa?

Minime. Non cum conscientia scrupulosa, quia in inani apprehensione versatur.

Non cum conscientia laxa, quæ tali vertitur in ignorantia, ut facillime superari possit.

32. De conscientia probabili.

Pertractantes de conscientia probabili, juverit statim animadvertere nostrum hic non esse indefinitas Theologorum in re controversias referre, sed tantum aliquid asserere, quod certum est.

Conscientia itaque probabilis est mentis assensus cum formidine de opposito.

Quæ tamen si ratione fulcitur, solet dici intrinseca, sin auctoritate sapientium, extrinseca.

Et in hoc duplici respectu vel est absoluta, vel comparata ad opposita.

Quæ comparatio dat propositiones vel æque probabiles, vel non.

Si æque probabiles, en conscientia dubia.

Si non, et tunc una propositio relate ad oppositum esse potest vel magis probabilis, vel minus probabilis, vel probabilissima, vel tenuiter probabilis, vel dubie probabilis.

Et hoc æstimatur ex motivis seu gravibus, seu levibus, seu gravioribus, seu levioribus, seu gravissimis, seu levissimis.

Hinc conscientia tuta, vel tutior, vel minus tuta.

Tuta, quæ favet legi. Non tuta vel minus tuta, quæ favet libertati. Usus tamen obtinuit, ut opinio favens legi vocetur tutior. Contraria, minus tuta. Ex quo Probabilistæ, Probabilioristæ, Tutioristæ.

33. Hinc quæritur :

1° Ubi duæ occurrunt opiniones æque probabiles, quarum altera favet legi, ac proinde tuta est, vel tutior, altera libertati et est minus tuta, an possit homo probus hanc secundam, rejecta prima, licite amplecti ?

2° An possit homo probus eamdem opinionem minus tutam sine piaculo sequi, tutiore posthabita, etiamsi tutior majoribus probabilitatis gradibus fulciatur ?

Nos in doctrina tam gravi, potius quam nostram proferamus opinionem, existimamus nonnullas in the-

mate recenseri propositiones, quas tenent Theologi doctrina atque experientia præditi, et ad illas lectores remittere nostros.

1° Non licet sequi opinionem probabilem, neque probabiliorem, relicta tutiore, quoties adest obligatio absoluta alicujus finis determinati obtinendi, quem usus medii obtinendi probabiliter inepti in periculum adduceret; tum igitur pars quæ est tutior sequenda est.

2° Non licet sequi opinionem tenuiter probabilem, relicta tutiori.

3° Licet sequi opinionem probabilissimam et etiam probabiliorem, tutiori relicta, ubi de solo licito vel illicito agitur.

4° Licet sequi opinionem vere et solide probabilem, relicta tutiori æque probabili vel etiam probabiliori, ubi de solo licito vel illicito agitur, modo tamen excessus probabilitatis sententiæ tutioris non sit valde notabilis.

34. Et ita præsentem concludimus disceptationem ; nam diximus jam satis de actibus humanis, deque conscientia : quod ab initio pertractare constituimus.

DE THEOLOGIA MORALI.



II

DE VITIIS ATQUE DE PECCATIS IN GENERE ET SPECIE.

THESIS 20ª.

—

1. In præcedenti disquisitione comparavimus creaturam rationalem ita a Divino Creatore esse constitutam, ut scienter et libere agens actum emitteret humanum; quem actum suas induere qualitates, secundum quod sit rationi conformis, vel difformis. Hinc bonum ex hac proportione exsurgit, vel malum. Hinc virtus, vel vitium; hinc præmium vel pœna. Postquam igitur alibi nonnulla diximus de bono et malo, de præmio et pœna, in præsenti thesi aliquid dicendum est de vitio et virtute. Quæ virtus cum in suis complexivis distinctionibus sit vel moralis, vel

theologica, operæ pretium est illico monere nos hic tantum locuturos de morali; in altera vero immediata disceptatione de theologica.

Et asserentes ex virtutis deficientia vitium oriri, ex virtutis defectu peccatum venire, illico quærimus :

2. In quonam vitium et peccatum consistant? Et quænam inter ea intercedat differentia?

Idea peccati continet in se ideam legis æternæ transgressionis. In lege æterna revera omnis recidit lex sive naturalis, sive positiva; et peccatum est actus moraliter malus. Hinc definitur a S. Aug., lib. 21 contra Faustum, c. 17 : « Dictum vel factum, vel concupitum contra legem æternam. » (S. Thom., 2, 2, qu. 71, art. 7.)

Vitium e contrario est habitus seu dispositio per se inclinans ad actum moraliter malum. (S. Thom., 1, 2, qu. 71.) Et sic habes definitiones et discrimina inter peccatum et vitium. Nihilominus promiscue Moralistæ solent uti his : quod velim animadversum.

3. Hinc quæritur : Quotuplex peccatum?

Peccati notitia, uti nuper diximus, continet in se legis æternæ transgressionem; atqui transgressio hujusmodi accidere potest vel a natura (ait S. Anselmus), seu origine, vel a persona. Unde peccatum naturale, seu originale et personale.

Non disputamus hic de peccato originali; de eo enim jam in Theologia dogmatica disseruimus: remanet igitur ut loquamur de solo personali, quod est vel actuale, vel habituale.

Per peccatum habituale intelligitur ipsa macula animæ inhærens ex actuali peccato, eamque detur-

pans, donec pœnitentia abstergatur. (Bonacin., de Peccatis.)

Per peccatum actuale, actio ipsamet peccaminosa, quæ in actu difformi a lege, vel a Dei voluntate consistit.

Jam vero hujus generis difformitas a Dei voluntate (in transgressione) vel talis est, ut omnimodam solvat divinam amicitiam, et tunc peccatum mortale constituit; vel est tantum Dei lævis offensa, et tunc peccatum efficitur veniale.

Hinc apertissime constat essentiæ peccati inhærere aversionem a Deo et conversionem ad creaturas.

4. Sed non semper actus hic in positivis versatur, quinimo plerumque in contrarium.

Et sane quælibet lex sive æterna, sive divina positiva, sive humana; aliquod præcipit ab homine adimplendum. Creatura rationalis dupliciter considerari potest: relate ad hanc legem, vel quatenus illius præcepto solum non satisfacit, vel quatenus illi contrarium emittit actum. Si primum, statim venit peccatum commissionis; sin alterum, peccatum omissionis exsurgit.

5. Ast peccatum sive commissionis, sive omissionis respiciendum est vel objective, vel subjective.

Atqui objecta in re tria sunt: Deus, societas, vel proximum individuum ipsum.

Hinc si quis ita agit, ut immediate et specialiter actus suus Deo repugnet, peccat contra Deum; sin agit contra justitiam et charitatem, peccat contra proximum; sin denique indulget intemperantiæ et passionibus, peccat contra seipsum.

Unde etiam si subjective consideretur, triplex est, quatenus tribus in specificis modis actus agentis fertur in objectis.

6. Et ex his generalibus partitionibus profluunt illæ Theologorum distinctiones, quæ ratione differentis speciei dant differentiam peccatorum specificam et ratione multiplicationis actuum differentiam peccatorum numericam.

7. His hactenus præmissis, nunc duo sunt disputanda : 1° Quid requiritur ut creatura rationalis peccet? 2° Unde repetenda sit gravitas peccatorum?

8. Et ad primam quæstionem statim venientes, absque ulla reponimus dubitatione, ad formale peccatum requiri malitiam objectivam actus, mentis advertantiam, voluntatis consensum. Nil volitum sane quin præcognitum ; et non sunt homini imputabilia, quæ non advertit ejus mens. Mens profecto, id est intellectus judicio peccat in his, quæ credere nos oportet, ex. gr., in hæresi, vel cum judicat esse omittendum, quod ita non est, vel committendum, quod est plane improbandum.

Nihilominus influit quoque appetitus, cum concupiscentia in delectatione morosa versatur, vel pravo indulget desiderio.

9. Nunc ad secundam quæstionem :

Unde repetenda sit gravitas peccatorum?

Ex his quæ jam de actibus humanis disseruimus, huic propositioni plana exhibetur et recta responsio.

Actus revera humanus ex objecto, ex fine et ex circumstantiis perficitur. Peccatum per consequens ex his tribus petitur.

Cujusque gravitas est comparanda ex majori vel minori disconvenientia legi, rectæ rationi, vel Dei voluntati.

10. Hinc si habes insimul materiam gravem in se, vel ob circumstantias, plenam advertentiam mentis in malitiam, plenum voluntatis consensum in prævaricationem, habes peccatorum gravitatem; et hujusmodi, ut sit ex ea constitutum mortale peccatum.

Quod si e converso levem invenias advertentiam ad malitiam, imperfectumque voluntatis consensum, levem habes gravitatem; ideoque et peccatum veniale.

Unde quæstioni. Quænam censenda sit advertentia sufficiens ad mortale peccatum? potius quam varia Doctorum placita atque opiniones in medium proferamus, reponimus illam censendam esse plenam atque sufficientem advertentiam, quæ præcedat actum peccaminosum, ipsumque consensum in expressa cogitatione, vel saltem in dubitatione positiva malitiæ mortalis.

Et ex qua simplici consideratione, quæ complectitur naturam actus, objectum, finem et circumstantias facillime eruitur differentia peccati venialis a peccato mortali.

Et evincitur luculenter quibus in modis peccatum leve ex genere suo fiat grave.

11. Nunc quæritur: Plura peccata venialia possuntne constituere unum mortale?

Minime per se loquendo; nam innumeræ negativæ quantitates numquam unitatem efformare posse videbuntur.

Nihilominus, si materiæ ipsorum venialium possunt in unum coalescere, ita ut fiat unum objectum grave

relate ad idem præceptum, tunc peccatum veniale fieri potest mortale, v. g., si parva furta in unam notabilem materiam coalescant.

12. Sed hic quæri potest : Undenam petenda sit specifica diversitas peccatorum? et undenam numerica distinctio?

Principio enim omne peccatum ad aliquam vitii speciem pertinet : vitium sane est quod a virtute deficit; et virtus contra est habitus animi, qui ad bonum inclinat, et bonum facit agentem.

Hinc cum cuique virtuti vitium contrario nomine opponitur, exsurgit tot esse vitia seu specifica peccata, quot virtutes contrario oppositæ.

Cum vitia æstimentur ex objectis natura diversis et numerus ipsorum est longe major quam numerus virtutum ; hinc uni eidemque virtuti multa plerumque opponuntur vitia, quorum alia ultro citroque, alia diverso dumtaxat ab ea desciscunt.

Quibus positis, en regulæ quas in themate tenere solent Theologi Moralistæ.

13. 1° Desumitur distinctio specifica peccatorum ex oppositione ad diversas virtutes, vel ex deformitate moraliter diversa contra eamdem virtutem (S. Lig., n. 31).

2° Ex violatione præceptorum moraliter diversorum, seu ratione peccati, vel motivi distinctorum (S. Lig., n. 33).

Hinc celebris versus :

> **Virtutes læsæ, diversa objecta, modusque,**
> **Dant speciem peccatis, diversumque reatum.**

14. Virtutes insuper vel pertinent ad ordinem supernaturalem, vel ad ordinem naturalem. Primæ dicuntur theologales, alteræ morales.

Theologales sunt Fides, Spes et Charitas. Sed de his in disceptatione immediate sequenti loquemur.

Morales sunt Justitia, Temperantia, Fortitudo et Prudentia.

Justitia alios spectat; hinc neminem lædere, suum cuique tribuere, Deum colere et solum colere. Soli Deo honor et gloria; unde alia Numina honore non prosequeris, secus enim idololatriæ devictus eris.

Temperantia ad nosmetipsos pertinet: per eam amor sui moderatur, et homo honeste vivit; si contrarium agit, contra seipsum peccat.

Fortitudo animum addit, patientiam fovet, longanimitatem exhibet; si quis enim vel nimis timide, vel nimis audacter agit, male se gerit.

Quid prudentia? Per eam creatura rationalis fit cauta in agendo, per eam docemur quorsum et qualiter operandum.

Hinc fraus, dolus, præcipitantia et levitas prudentiam infirmant.

Et sic de aliis in re permultis exemplis verbum habeas.

15. Nunc quid dicendum de numerica peccatorum distinctione?

Distinctio peccatorum numerica ex multiplicitate malitiæ erui fas est.

Atqui multiplicitas hujusmodi ex duplici oritur capite: 1° ex repetitione actus interni, 2° ex pluralitate objectorum.

Hinc actus malus continet in se peccatum. Multiplicentur actus, multiplicantur et peccata.

Possumus velle uno actu plura objecta diversa et mala.

Ergo multiplex peccatum : ergo numerica distinctio ex multiplicitate objectorum.

Hinc vides in quovis peccato duo insimul considerari, actum voluntatis et objectum ; et ex his duobus illico deduces corollarium.

Respondentne uni malo actui voluntatis plures offensæ virtutes? Utique.

En totidem peccata numero distincta, ex. gr., si quis sacerdotem cædit, bis peccat, eo quod simul justitiam et religionem lædat, et sic deinceps.

16. Unde regulæ a magni nominis Doctoribus exhibitæ:

1° Desumitur distinctio numerica peccatorum ex diversitate objectorum totalium sive moraliter diversorum.

2° Desumitur etiam ex multiplicitate actuum moraliter interruptorum (S. Lig., n. 36).

Unde Sanchez, l. 4 Decal., c. 11, n. 25 : « Si parens filio imperet hodie studium, cras aliud negotium, licet materiæ secundum se sint notabiliter diversæ, tamen neglectus utriusque duo constituit peccata numero distincta ; bis enim filius fuit patri inobediens. »

Et sic diximus quæ præcipua generatim de peccatis dicenda erant nunc veniamus ad aliquid disputandum ; de his in specie : hinc

DE PECCATIS IN SPECIE, SEU DE VITIIS CAPITALIBUS.

17. Cum a Theologis disputatio assumitur de peccatis in specie, solent ipsi loqui præcise de vitiis capitalibus; sed non in sensu quasi ea tantum sint mortalia, sed potius ut ex hoc significent..... Vitia capitalia esse veluti fontes, a quibus alia permulta sive venialia, sive mortalia profluunt peccata. Et sub tali consideratione nos ipsimet de his brevem suscepimus pertractationem.

18. Vitia capitalia itaque, juxta Angelicum Doctorem, 2, 2, qu. 169, art. 6, sunt numero septem : superbia, avaritia, luxuria, gula, ira, invidia, et acedia.

De singulis pauca.

19. Et primum de superbia, quæ juxta Ecclesiasticum, 10, 15, et Prov., 18, 12, « est initium omnis peccati. »

Definitur sane a S. Thoma, 2, 2, qu. 162, art. 2 : « Inordinatus appetitus propriæ excellentiæ. » Atqui ubi non est ordo, est confusio; et ubi est confusio, non est rectitudo; et ubi non est rectitudo, omnia in perniciem ruunt.

Hinc optime Gregorius Magnus, lib. 34 Moral., de ea ait : « Superbia autem quasi generalis et pestiferus morbus corpus omne virtutum corrumpit. »

Et jure : nam ex ea originem ducit ambitio; et ex ambitione passionum cupiditas statim movetur : hinc idea honoris, quamvis immeriti, somnium dignitatis, potentiæ cogitatio.

Ex superbia 2° præsumptio emanat, ex qua quisque nescit suas metiri vires.

Ex superbia 3° vana gloria venit, ex qua laudis humanæque reputationis vana voluptas.

Ex superbia denique 4° vesana hypocrisis, propter quam homo sub ovium pelle lupi rapacis tegit qualitates, in suiipsius et societatis detrimento.

20. Sed cognito vitio, facile est invenire remedium. Et est in themate triplex : 1° vera cognitio nostræ infirmitatis; 2° humanæ vanitatis justa consideratio ; 3° Christi Jesu humilitatis perfecta meditatio.

21. Alterum capitale vitium est avaritia, id est amor inordinatus divitiarum. Dicitur ab Apostolo Paulo, 1 Timoth., 6 : « Radix omnium malorum cupiditas ; » et ab Ecclesiastico, 10, 9, asseritur avaro inesse omnem iniquitatem : « Avaro autem nihil est scelestius. »

Et merito ; nam ex ea omne peccatorum genus exsurgit, cupiditas venit atque potentia ex collectis divitiis malum patrandi.

Misere cruciatur juvenis, si forte in ipsam inciderit, audacter virilem consectatur ætatem, senes violenter persequitur ; quia finem in senectute non habet, quinimo crescit in dies.

Hinc optime Aligherius de ea asserit :

Ed ha natura si malvagia e ria
Che mai non empie la bramosa voglia,
E dopo il pasto ha più fame che pria.

(Inferno, c. 1, v. 97 et seqq.)

22. Filiæ infestæ matris immediate oriuntur ex ea :

1° Cordis durities erga miseros, ita ut infelix in mœrore et lacrymis frustra quærat aquæ guttam ab avaro ;

2° Sollicitudo inordinata de terrenis : avaro sane omnia sunt parum, etiam Cræsi thesauri ;

3° Violentia rei alienæ usurpandæ, fraus et dolus.

23. Cujus remedia nihilominus sunt in primis cum Salomone exclamare : « Vanitas vanitatum, et omnia vanitas. » Hinc sana consideratio hujus vitæ turpitudinis, insimulque obventura pericula.

24. Tertium ex prænotatis vitiis capitalibus est luxuria, hoc est inordinatus appetitus in re venerea.

Venit profecto ex ea cæcitas mentis ; et quis non modo non agnoscit fœditatem suam, juxta illud Danielis, 13 : « Species decepit te, et concupiscentia subvertit cor tuum ; » sed etiam amittit, vel saltem minuit scientiæ sapientiæque donum.

Producitur ex ea inconstantia, inconsideratio atque in primis odium Dei. Luxuriosus porro prosequens creaturas, relinquit Creatorem. Ait revera S. Aug. : « Deum diligis ? Deus es. Terram diligis ? Terra es. »

25. Remedia præcipua hujus vitii sunt occasionum fuga, oratio, Sacramentorum frequentia, carnis mortificatio (S. Lig., n. 71).

26. Quartum capitale vitium est ira, nempe inordinatus vindictæ appetitus, et hoc in genere suo constituitur mortale. Propter iram itaque præcipua veniunt :

1° Indignatio, per quam lumen intellectus amittitur, saltem in actu ;

2° Convicia, per quæ proximum injuriis persequitur ;

3° Blasphemiæ, ex quibus Deo Optimo Maximo,

Omnipotenti, Creatori scelestæ convertuntur injuriæ.

27. Cujus remedium est malos ejus considerare effectus, Christi mansuetudinis prosequi vestigia.

28. « Quintum ex capitalibus vitiis est gula, nimirum cibi vel potus inordinatus appetitus. » (S. Thom., 2, 2, qu. 148, art. 1). Propter eam, cum inordinata evadit, originem ducunt innumera peccatorum genera, ex eo quod in crapulis et ebrietate mentis hebetudo producitur, scurrilitas habetur, cujuslibet immunditiæ generis huc illuc profluunt.

29. Cujus remedia præcipua in vitæ futuræ meditatione consistunt, sive corporis, sive animæ detrimentum considerare.

30. Sextum ex dictis vitiis est invidia, scilicet aiente Angelico Doctore, 2, 2, qu. 36, art. 1, tristitia de bono alterius, in quantum est diminutivum gloriæ propriæ. Unde vides optime se habere Apostolum, cum invidiosos excludit a regno Dei; hæc enim venenum vomit in proximum, huncque continuo cruciat in rebus, sive in existimationis detractione, sive in afflictione, cum videat bona aliena propitia vertere, sive denique in odii principio atque perseverantia.

31. Cujus remedium præcipuum est recta consideratio malorum effectuum qui ex ea proveniunt, ac insuper humilitatis indulgere exercitiis, insimulque proximi charitatem a Domino orationibus petere.

32. Septimum tandem capitale vitium est acedia, quæ a S. Doctore Angelico dupliciter accipitur : late, et tunc per eam ipse significat teporem animi in exercitio virtutum, vel strictius pro tristitia in Dei amicitia comparanda, in divinorum scilicet præceptorum

observatione. Hinc acediæ est in divinis officiis teporem habere, ipsius est otiositatem somnolentiamque custodire, illius est in desperationem deducere, eo quod vitam tantum in deliciis diligit.

33. Cujus vero remedia sunt præsertim meditationes in vocibus et minis Dei contra acediosos prolatis, virtutis merita in mentem revertere, Christi labores considerare.

34. Hactenus de septem vitiis capitalibus, proindeque de peccatis in specie; et sic concludimus hanc disceptationem. Diximus profecto de peccatis in genere, quorum præcipua, quamvis compendiose in medium protulimus; ac deinde ad speciem venientes juxta nostrum institutum, pauca in re delibavimus: quod agere ab initio proposuimus.

DE THEOLOGIA MORALI.

III

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

THESIS 21ª.

1. Sacræ Theologiæ sive dogmaticæ, sive moralis Expositor, complectens in paucis præcipua, quæ de hujusmodi supernaturali scientia solent pertractari, certe finem non attingeret suum, si de Virtutibus theologicis sermonem non haberet. « Domus Dei, ait S. Aug. (Serm. 26, vel 20), credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur. » De Fide igitur loquendum est, de Spe atque de Charitate, quæ tres Virtutes theologicas complent.

2. Virtus in primis, uti jam monuimus, est habitus animi, qui ad bonum inclinat et bonum facit agen-

tem, veluti loquitur S. Aug. (lib. II de Lib. Arbitr., cap. 18 et 19) : « Est bona qualitas mentis, qua recte vivitur, qua nullus male utitur, quamque Deus in nobis sine nobis operatur. »

Atqui bona qualitas mentis non habetur sine Fide, recte non vivitur sine Charitate; et quia Deus in nobis sine Fide operatur, in Spe movemur et sumus.

Ergo hæc tria sunt veræ virtutis essentiale constitutivum.

DE FIDE.

3. Fides, juxta Apostolum Paulum, in Ep. ad Hebr., cap. 11, est « sperandarum substantia rerum argumentum non apparentium. » Et ne ad explanandam hujusmodi definitionem diu immoremur in medium placita Doctorum proferentes, exhibemus tantum S. Thomam, qui, in 2, 2, quæst. 4, artic. 1, sic se habet in re, « dicitur fidem esse substantiam rerum sperandarum, quia scilicet prima inchoatio rerum sperandarum in nobis est per assensum fidei, quæ virtutes continet omnes sperandas. In hoc enim speramus beatificari, quod videbimus aperta visione veritatem, cui per fidem adhæremus. »

Nihilominus, communiter a Theologis Fides definiri solet : virtus a Deo nobis infusa, qua libero et pio voluntatis affectu iis firmiter assentimus, quæ nobis a Deo revelata sunt propter ipsius Dei revelantis auctoritatem.

Duo igitur in Fide animadvertenda :

1° Ut credamus omnia a Deo revelata;

2° Ut credamus ex supernaturali divinæ revelationis motivo.

Quod motivum in sua veritate proponitur et nobis explicatur ab Ecclesia vera Christi, ab Ecclesia nimirum Catholica, Apostolica, Romana. « Qui vos audit, inquit S. Luc., 10, 16, me audit; qui vos spernit, me spernit. »

Hinc est credendum absque ulla hæsitatione : dubius enim in Fide est infidelis.

Est credendum omnibus omnino veritatibus a Deo revelatis; nam in eo qui aliquem fidei articulum non credit non manet fides neque formata, neque informata. (S. Thomas, 2, 2, quæst. 5, art. 3.)

De quibus vides duo insimul oriri : motivum fidei et objectum fidei.

4. Quod objectum est vel materiale, vel formale.

Et primum, si in rebus revelatis, cognoscendis et credendis versatur ;

Et alterum, si consideretur ratio propter quam creditur, id est, divina auctoritas.

5. Dividitur præcipue a Doctoribus Fides : 1° in habitualem, quatenus in habitu supernaturaliter infuso anima permanenter est ; et actualem, quatenus in firma et supernaturali rebus revelatis adhæsione consistit.

Dispescitur 2° in explicitam, quando fidei articulus creditur in se sub propriis ac peculiaribus terminis ; et implicitam, quando creditur veritas non in se, sed in alio, in quo illa continetur.

Denique dividitur 3° in formatam seu vivam, vel informem seu mortuam, prout cum habitu charitatis

conjuncta est insimulque cum operibus, vel de his est destituta.

6. Quibus præmissis: quæritur: 1° Utrum Fides explicita et supernaturalis in Deum uti auctorem gratiæ necessaria sit ad salutem?

Gnostici pro primis negant hujusmodi necessitatem, et asserunt sola Dei cognitione Philosophos paganos consecutos fuisse salutem; et ex hac unica ratione Pythagoram, Platonem, Aristotelem aliosque imagines coluisse. (S. Irenæus, lib. 1, cap. 25; S. Epiphanius, Hæres., 27; S. Aug., de Hæresibus, n. 7.)

Quem errorem e pulvere excitavit Zuinglius, in Exposit. Fidei ad Francisc. I.

Sed nos contra hos omnes statuimus hanc propositionem :

FIDES EXPLICITA ET SUPERNATURALIS IN DEUM UT AUCTOREM GRATIÆ AD SALUTEM EST NECESSARIA.

7. Sed antequam ad probandam thesim veniamus, juverit animadvertere, duplicem dari necessitatem, aliam medii, alteram præcepti.

Et primam talem esse, ut sine ea impossibile sit invenire salutem, ex. gr., sine Baptismo; aliam vero hujusmodi esse, ut dato quod in impotentia vel ignorantia invincibili omittatur, tamen non impeditur salutis æternæ consecutio.

8. Qua posita animadversione, sic ad probationes gradum faciamus :

Ait sane Apost. Paulus ad Hebræos, c. 11 : « Sine fide impossibile est placere Deo. » Atqui fides de qua loquitur Apostolus est illa sperandarum substantia

rerum argumentum non apparentium : ergo supernaturalis.

Hinc Conc. Trid., sess. 6, cap. 3, ita se explicat, et hoc in sensu verba Pauli exponit.

Et jure; nam nemo sine actuali charitate salutem æternam consequi potest (S. Joan., 1 Epist., 3, 14). Atqui charitas sine fide supernaturali concipi nequit : ergo.....

Et hoc sive loquamur de veteribus in lege Mosaica, sive de Christifidelibus in lege Evangelica.

Inquit revera S. August., de Nat. et Grat., c. 44 : « Ea fides justos sanavit antiquos, quæ sanat et nos, id est Mediatoris Dei et hominum hominis Jesu Christi, fides sanguinis ejus, fides mortis et resurrectionis ejus. »

Ergo fides explicita et supernaturalis in Deum ut auctorem gratiæ ad salutem necessaria fuit in omni statu et est.

9. Hinc quæstioni : An liceat fidem aliquando extrinsecus aperte negare, dummodo occulte interius retineatur in corde? Absque ulla hæsitatione reponimus contra Helcesaitas non licere. Ait enim Christus per Matth., 10, 32-33 : « Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo..... Qui negabit me, negabo et eum. »

10. Quæritur : An liceat fidem saltem occultare, falsam simulando religionem?

Negative. Inquit porro S. Thomas, 2, 2, quæst. 111, art. 1 : « Ad virtutem veritatis pertinet, ut quis talem se exhibeat exterius per signa exteriora, qualis est : signa autem exteriora non solum sunt verba, sed etiam facta. »

11. Sed posita fidei necessitate, quæritur : Quandonam urgeat præceptum fidei eliciendæ?

Post usum rationis, in articulo mortis atque sæpius in vita (S. Lig., n. 7; Homo Apost., n. 13).

12. An liceat uti vestibus infidelium?

Et tunc tantum licitum est cum ipsa sint signa alicujus nationis, neque religioni officiant.

13. An liceat Catholicis audire sermones infidelium, nuptiis adsistere, funeribus adesse?

Et licet, dum hoc non habeatur veluti professionis symbolum.

14. Nunc

DE SPE.

Spes est virtus a Deo infusa, qua ab infinita ejus misericordia bona nobis præparata expectamus. Hinc dicitur a S. Aug., in Enchirid., cap. 8 : « Nonnisi bonarum rerum, nec nisi futurarum et ad eum pertinentium, qui earum spem gerere perhibetur. »

15. Objectum spei est duplex : formale et materiale.

Formale consistit in bonitate et fidelitate Dei (S. Lig., n. 21).

Materiale est Dei futura possessio : « Ego merces tua magna nimis » (Genes., 25, 1).

Spei characteres sunt præcipue Fiducia et Desiderium.

Fundamenta autem omnipotentia Dei ejusque misericordia. Ait Regalis Propheta, Psal. 23 : « Ego autem in misericordia tua speravi. »

Hinc D. Angelicus, 2, 2, quæst. 17, art. 4, quoad

spem sic se habet : « Spes duo respicit, scilicet bonum quod obtinere intendit, et auxilium per quod illud bonum obtinetur. Bonum autem quod aliquis sperat obtinendum habet rationem causæ finalis; auxilium autem per quod aliquis sperat illud bonum obtinere habet rationem causæ efficientis. » Et iterum : « Spes respicit beatitudinem æternam sicut finem ultimum; divinum autem auxilium, sicut primam causam inducentem ad beatitudinem. »

16. Hinc disputandum : Utrum actus spei Christianæ sint boni et commendandi ?

Et absque ulla hæsitatione asserimus esse bonos commendandosque; nostra enim responsio fundatur in Scripturis et in Traditione, denique in Ecclesiæ Catholicæ praxi.

17. Loquitur sane hoc in sensu S. Propheta David, in Psal. 26, ut indicet desideria precesque ferventes regnum æternum possidere : « Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. »

Eodem vero in sensu, eademque ratione Divus Paulus hortatur Colossenses, cap. 1, 4 : « Ut haberent fidem in Christo Jesu et dilectionem in Sanctos omnes..... propter spem. »

Id repetit in cap. 3, 23 : « ..... Scientes quod acciperent a Domino retributionem hæreditatis. » S. vero Augustinus examen agens in verbis Regalis Prophetæ, sic in Tract. 3 in Joan., ait : « Quidam suspirans amator in Psalmis dicit : « Unam petii a Domino, hanc « requiram..... » Quid est hoc quod requirit ? « Ut in- « habitem, inquit, in domo Domini per omnes dies vitæ

« meæ..... ut contempler, inquit, delectationem Do-
« mini..... » Talia nobis præmia promissa sunt, fratres mei, tale aliquid amate, tali regno suspirate, et talem patriam desirate. »

18. Praxis Ecclesiæ idem tenuit. Quod constat ex officio Martyrum, in quo ipsa ait : « Tradiderunt corpora sua propter Deum ad supplicia, ut hæredes fierent in domo Domini. »

Idemque docet, dum Christifidelibus actus spei sollicite præcipit.

Ergo hujusmodi spei actus vel dicendum est bonos esse et commendandos, vel asserendum errasse Scripturam, Patres et Ecclesiam in illis laudandis et præcipiendis.

Atqui asserere hoc postremum est absurdum : ergo actus spei sunt boni et commendandi.

19. Ergo inciderunt in errorem Pseudo-Mystici veteres, qui falsa devotionis et sanctitatis larva decepti, in eo perfectionis apicem constituebant, ut omnem spem cœlestis præmii abjicerent, soliusque charitatis puræ motivo operarentur.

Ergo a veritate aberrarunt recentiores Quietistæ, duce Michaele Molinos, qui e pulvere excitarunt Pseudo-Mysticorum fæces ac in medium scientiæ exhibuerunt.

20. Et contra hujus generis adversarios sunt actus spei boni et commendandi, non modo in omnibus fidelibus, sed etiam in justis, quamvis perfecta charitate instructis.

Statuit profecto Concil. Trident., sess. 6, c. 2, can. 31 : « Si quis dixerit justificatum peccare dum

intuitu æternæ mercedis operatur, anathema sit. »
Ergo.

21. Quibus positis, quæritur :

1° Spes requiritur, nec ne, ad justificationem necessitate medii?

Affirmative. Homo enim a Deo ita est constitutus, ut ad finem suum ultimum assequendum sollicite studeat.

Atqui hoc fieri nequit sine propriis actibus : ergo non potest fieri sine spe. Unde Apost. Paul., Rom., cap. 8, v. 24 : « Spe salvi facti sumus » (Concilium Tridentinum, sess. 6, cap. 7).

22. Quæritur 2° Spes requiritur, nec ne, necessitate præcepti?

Affirmative. Et revera ait Apost., 1 Timoth., 6, 17 : « Præcipe..... neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo. » Ergo datur verum præceptum emittendi aliquoties in vita spei actus; ergo spes requiritur necessitate præcepti (Psal. 6, 1). Ergo jure Alexander III hanc propositionem damnavit : « Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actus fidei, spei et charitatis ex vi præceptorum divinorum, ad eas virtutes pertinentium. »

Hinc S. Aug., Tract. 83 in Joan., dicit : « De fide nobis quam multa mandata sunt, quam multa de spe! »

23. Spei opponuntur desperatio et præsumptio, quæ duo sunt mortalia; ait enim de his S. Aug., Serm. 87 de Verb. Evang. : « Istas duo animas occidere. »

24. Desperatio in diffidentia consistit, et diffidentia

facit Deum secordem et tyrannum. Causæ desperationis sunt plurimæ. Præcipuæ recensentur : luxuria, acedia, melancholia, scrupuli, etc.

Desperationis remedia sunt : Dei bonitatis atque misericordiæ infinitæ consideratio ; venia peccatoribus a Deo data ; in Christum fiducia ; Beatæ Virginis devotio et refugium.

25. Præsumptio e converso est temeraria expectatio beatitudinis, vel mediorum ad illam. Et hoc accidere potest, 1° si quis salutem expectet æternam ex propriis viribus. Ita Pelagiani. 2° Si hujusmodi salus a Deo expectetur sine ulla creaturæ rationalis cooperatione. Ita Novatores. 3° Si denique spe veniæ quis peccet, et ob spem conversionis in morte perseveret in peccato (S. Lig., n. 21).

Ex quibus recto tramite causæ præsumptionis profluunt, id est vana gloria, superbia, ignorantia ; et ex quibus aliæ omnes veluti e fontibus originem ducunt.

Et ex his omnibus præmissis, facile est videre quomodo confessarius se gerere debeat cum desperato et cum præsumptuoso.

26. Nunc

DE CHARITATE.

Loquentes de Charitate, illam habemus ab Apost., 1 Corinth., 13, 13, veluti omnium virtutum excellentissimam : « Nunc autem manent fides, spes, charitas : tria hæc, major autem horum est charitas. » Et qua ratione ? Quia est « vinculum perfectionis » (Coloss., c. 3, 13). Quia « si habuero omnem fidem, ita ut

montes transferam; charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest » (1ª Corinth., 13, 2).

27. Ac sicuti supernaturalis et a Deo infusa charitas ab Angelico Doctore, 2, 2, quæst. 23, art. 1, dicitur esse amicitiam quamdam hominis ad Deum.

Quam definitionem Theologi Tractatistæ ita solent exhibere: « Charitas est virtus qua diligimus Deum tamquam summum bonum propter seipsum, nosque et proximum propter Deum. »

28. Hinc triplex brevis tractatio : de charitate erga Deum, de amore erga proximum, de amore erga nosmetipsos.

29. Sed primum nonnulla præmittenda de objecto charitatis et de divisione.

30. Objectum charitatis est vel materiale, vel formale.

Materiale illud dicitur circa quod virtus charitatis versatur.

Formale in ratione continetur, sub qua charitas suum objectum respicit.

Objectum materiale est primarium, nempe Deus ipse, et secundarium, scilicet nos ipsi et alii homines, quos propter Deum diligere tenemur.

Objectum formale charitatis est infinita bonitas per seipsam amabilis (S. Thom., 2, 2, quæst. 23, art. 5, ad 2).

Hinc amor charitatis hac de causa dici solet benevolentiæ amor et complacentiæ.

Quod si vero Deum diligimus quatenus nobis est beneficus, exsurgit illico amor concupiscentiæ.

Amor Dei esse potest vel perfectus, vel imperfectus.

Et perfectus, cum Deum prosequimur amore secundum seipsum ; imperfectus, cum Deum amamus secundum bonum quod a Deo provenit in nobis (S. Thomas, 2, 2, quæst. 27, art. 3).

Hinc charitas perfecta et imperfecta.

Charitas hujusmodi vero a Deo infusa vel est talis, ut homo promptus efficiatur ad diligendum Deum et proximum, et tum est habitualis (Angelicus Doctor, 2, 2, quæst. 23, art. 2) ; vel est motus animi ad fruendum Deo propter seipsum et se atque proximum propter Deum, et est actualis (S. Aug., libr. 3 de Doctrina Christ., c. 20).

Quæ charitas actualis demum vel est affectiva, vel effectiva, quatenus in corde et voluntate solum remanet, vel ad actus exteriores progreditur.

His animadversis, ad propositas quæstiones.

I

DE AMORE DEI.

31. Utrum detur speciale præceptum charitatis erga Deum ?

Datur, et est summum mandatum, aiente Matth., c. 1, v. 22 : « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et in tota anima tua : hoc est maximum et primum mandatum. »

Hinc S. Aug., libr. 1 de Moribus Eccl., cap. 11 : « Summum bonum, inquit, quod etiam optimum dicitur, non modo diligendum esse nemo ambigit, sed ita diligendum, ut nihil amplius diligere debeamus. »

32. Sed quanam charitate?

Cum illa proficiscente a gratia divina, id est supernaturali.

Illa quæ ex toto corde venit, id est interna; illa ex qua Deum habemus super omnia et majorem cæteris omnibus, id est appretiative summa; illa quæ nos efficaciter movet ad ea, quæ Deo placent, id est efficaci; illa denique ex qua Deum in omnibus et semper præferimus, id est universali.

33. Quæ charitas denique obligat per se, quando homo sufficientem Dei infinite boni cognitionem habet et in articulo mortis.

Per accidens, in omni periculo labendi et cum urget præceptum contritionis.

II

DE AMORE ERGA PROXIMUM.

34. Sub nomine proximi veniunt omnes illi, qui sunt capaces beatitudinis supernaturalis, vel ea jam fruuntur; id est omnes illi, qui in Ecclesia sunt militante, in Ecclesia purgante, denique in Ecclesia triumphante, ad exclusionem illorum, qui misere in inferno prolapsi sunt et ibique cruciantur, ubi non est neque amor, neque ulla redemptio.

35. Quo posito, quæritur: 1° Datur, nec ne, præceptum diligendi proximum?

Datur, et grave et speciale est. Ait profecto Matth., 22, et Joan., 13: « Diliges proximum tuum sicut teipsum. Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem sicut dilexi vos. »

Ac illa porro dilectione, illoque amore benevolentiæ tendentis ad unionem, quæ intercedere debet inter fratres et cohæredes.

36. Quæritur : 2° Quandonam hoc præceptum obliget?

Obligat per se, quando obligat præceptum charitatis relate ad Deum; obligat per accidens, quando proximus est in gravi necessitate.

S. Aug. reapse sic generaliter de amore proximi, libr. 1 de Doctrina Christ., cap. 28, n. 29 : « Omnes homines æque diligendi sunt; sed cum omnibus prodesse non possis, his potissimum complendum est, qui locorum et temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus constrictius tibi quasi quadam sorte junguntur. Et pressius amore proximum prosequamur cum officiis charitatis, id est eleemosyna, fraterna correctione, operibus denique misericordiæ omni sub respectu. »

37. Quæritur : 3° Estne idem charitatis præceptum erga inimicos?

Absque ulla hæsitatione, et est speciale. Ipsi enim sunt capaces beatitudinis supernaturalis, sunt in proximo, dant nobis occasionem exercendi virtutem : ergo diligendi sunt. Hinc Matth., 5, expresse dicit : « Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos. » Unde S. Aug. in re advertit Christum in his verbis non dedisse consilium, sed præceptum.

III

DE AMORE ERGA NOSMETIPSOS.

38. Quæritur : Utrum homo seipsum charitate diligere debeat?

Et affirmative præcise reponimus, 1° quia amor suiipsius fundatur in divino præcepto : « Diliges proximum tuum sicut teipsum ; » 2° quia individuum suiipsius est conditum ad beatitudinem, et natura rationalis, id est homo, necessario ad illam tendere debet; 3° quia amor suiipsius non modo dicit unionem, sed ipsam unitatem.

39. Sed quanam proportione homo seipsum diligere tenetur relate ad proximum?

Ait S. Thomas : « Aliquem in charitatem servandum esse ordinem; ac proinde hominem magis teneri seipsum diligere, quam proximum. Quod Christus ipse innuisse videtur iis verbis Levit., 10, et Matth., 22 : « Diliges proximum tuum sicut teipsum. » Ex quo videtur, inquit Angelicus, quod dilectio hominis ad seipsum est sicut exemplar dilectionis, quæ habetur ad alterum; sed exemplar potius est quam exemplatum : ergo homo ex charitate magis debet diligere seipsum quam proximum. »

40. Et sic satis erit etiam de hac disceptatione. Diximus revera aliquid de Virtutibus theologicis in genere; Fidem deinde, Spem et Charitatem in suis relativis, specialibusque relationibus consideravimus : quod erat disputandum.

DE THEOLOGIA MORALI.



IV

DE VIRTUTE RELIGIONIS ET PRÆSERTIM DE VOTO.



THESIS 22ª.



1. Cuicumque lectori, qui hoc nostrum opus perlegere dignatus est, luculenter est planum nos jam descriptionem dedisse tum de Virtute, tum etiam de Religione ; sed certe ei datum non est præ oculis tenere quodnam sit præcise in Theologia Morali objectum Religionis : proindeque nostrum hic est de illo in primis quærere, deinde alios recensere breviter Religionis actus, ac denique prolixius de voto verbum habere.

2. Hinc statim

DE OBJECTIO RELIGIONIS.

Objectum Religionis est vel materiale, vel formale.

Objectum materiale sunt omnes illi actus, qui valent ex uno latere ad significandam Divini et Omnipotentis Creatoris excellentiam, et ex altera parte ad nostram indicandam submissionem.

Objectum vero formale est ratio illa propter quam actus Religionis adimplemus, et est multiplex. En exemplum : quidam Christifidelis laudes divinas canit. Jam vero hoc agit, vel ex eo quod existimat hujusmodi laudes esse Deo Optimo Maximo acceptas, vel ut possit infinitam Dei sanctitatem commendare, vel denique ejus ostendere gloriam, vel tandem illi gratias pro beneficiis agere, et sic deinceps.

Hinc vides objectum formale Religionis totidem in se continere actus, quot sunt specialia motiva propter quæ aliquis objectum materiale prosequitur.

Objectum vero materiale Religionis totidem actus continet, quot debitum honorem Deo exhibere possunt et quibus revera exhibetur.

3. Hinc Adoratio, seu Cultus, Oratio, Sacrificium, Votum, Juramentum, Sanctificatio Festorum. Qui actus præcipui sunt et quibus alii numero indefiniti reduci possunt, ideoque de his tantum instituendus est sermo.

4. Sed nos jam de Cultu, seu Adoratione, et de Sacrificio in Theologia Dogmatica locuti sumus ; ideoque in medium aliquid proferemus de Oratione, Juramento, et de Sanctificatione Festorum, inde verbum prolixius habebimus de Voto.

5. Orare est loqui. Cum igitur Deo loquimur, oramus. Oratio per consequens nil aliud est, nisi quivis pius animæ affectus in Deum per mentis elevationem ad ipsum. Et hoc in sensu latius patet. Strictius autem a Damasceno definitur : « Petitio decentium a Deo. »

Est petitio decentium. Atqui neque decentia peti possunt, nisi in primis illa in mente volutentur ; et cum versantur in mente vel inibi manent, et en Oratio mentalis, vel extra exhibentur, et en Oratio vocalis.

Est 2° vel publica, vel privata.

6. Hinc quæritur : 1° Utrum oratio sit necessaria ad salutem ?

Affirmative, et ex jure naturæ. Homo enim natura sua in periculis, in angustiis, in necessitate denique auxilium petit.

Ex jure divino insuper, uti audire est S. Luc., 18, 24 : « Oportet semper orare, et nunquam deficere. Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem. »

7. Posito quod sit necessaria oratio ad salutem, quæritur : 2° Utrum sit necessitate medii an præcepti ?

Et probabilius necessitate medii et præcepti.

Medii. Deus sane condidit hominem et indidit in eo spiritum ratione præditum, ideoque illum ad finem ultimum constituit : quem finem Christifidelis assequi non potest sine mediis, id est sine gratia.

Atqui Deus per orationem dat gratiam : ergo probabilius est necessitate medii. Est certe necessitate præcepti, et hoc constat ex recitatis S. Scripturæ testimoniis.

8. Sed quomodo orandum? Pietate, devotione et attentione, perseverantia, humilitate et fiducia.

Insuper orandum pro rebus necessariis, utilibus et honestis.

9. Ad quem preces vertere? Ad Deum unum et Trinum, Creatoremque, ad Beatam Virginem Mariam, omnesque ad Angelos et Sanctos.

10. Sed quandonam orationis urgeat præceptum? Absolute in articulo mortis et semel in anno, per accidens toties quoties id requirat prudens necessitas.

11. Pro quibus orandum est? Pro vivis omnibus, etiam infidelibus, et pro mortuis in Purgatorio degentibus: pro damnatis vero minime, quia in inferno nulla est redemptio.

DE JURAMENTO.

12. Juramentum est invocatio divini Numinis in testimonium veritatis. Quæ invocatio, si debite facta est, tunc juramentum evadit honestum atque laudabile (Deuteron., 7, v. 13; Psal. 62; Jerem., 4, 26).

Erit tamen debite facta, cum habeatur Veritas, Judicium et Justitia (Jer., 4).

13. Est juramentum vel assertorium, vel promissorium.

Est assertorium, cum invocatio fit ad comprobandam assertam vel negatam veritatem. Est promissorium, quando quis quod promisit præstare vult.

Est implicitum, vel explicitum; est solemne, vel simplex; est judiciale, vel extrajudiciale.

Judiciale dispescitur in juramentum calumniæ,

malitiæ, veritatis, credulitatis; in juramentum litis et in litem, etc.

14. Quæritur : 1° Quænam sint requisita ad essentiam juramenti?

Duo : 1° intentio jurandi, 2° formula juratoria.

Ergo juramentum promissorium intelligi nequit sine voluntate jurandi.

Ergo si quis sine veritate judicio atque justitia juramentum præstat, semper peccatum committit mortale : adducere reapse Deum in testimonium falsitatis est velle destruere ipsius veracitatem.

Ergo juramentum concipi non potest sine invocatione Numinis, sive explicite, sive implicite.

15. Quæritur : 2° Utrum juramentum promissorium de re licita inducat obligationem religionis?

Et asserimus obligare. Per se enim jam simplex promissio obligationem inducit, et ex divini Numinis testimonio confirmatur et corroboratur.

E converso autem, si juramentum versetur in re illicita, Ecclesia sane non est vinculum iniquitatis.

16. Quod si juramentum promissorium inducit obligationem, quæritur : 3° Qualis ipsa sit?

Et obligatio hæc æstimanda est a gravitate rei de qua juratum est. Hinc si res gravis, gravis obligatio; si res levis, levis obligatio.

17. Sed quomodo hujus juramenti obligatio cesset?

Secundum Jurisconsultos, obligatio hæc cessare potest vel irritatione, vel dispensatione, vel remissione, vel denique commutatione.

Irritatur profecto, cum superior auferat a subdito obligationem; dispensatur, cum ab hujusmodi obli-

gatione eximetur; remittitur, cum creditor obligationem suam sponte condonat; commutatur denique, cum obligatio non extinguitur, sed in aliam transfertur.

18. Quid de juramento judiciali?

Juramentum hoc dupliciter sumitur: generice nimirum, quatenus in judicio præstatur, cum deferat illud vel judex, vel pars; et specifice, cum pars parti deferat, judice approbante.

19. Juramento judiciali specifice sumpto opponitur illud necessarium vel suppletorium, vel tandem purgatorium.

20. Quomodo denique juramentum interpretandum est?

Stricte et juxta naturam actus; nam jurans censetur voluisse se quam minimum potuit obligare; et juramentum est vinculum propriæ voluntatis.

DE SANCTIFICATIONE FESTORUM.

21. Festi dies dicuntur, quibus Christianos sacris vacare oportet, et curnam? Ut honorem reddant vel Domino, vel Beatæ Virgini Immaculatæ, vel Sanctis: inde festivi dies sunt vel Domini, vel Beatæ Virginis, vel Sanctorum.

22. Quæritur: 1° Quodnam præceptum sit diebus festis?

Illos celebrare; et hoc vel jure naturæ, vel jure divino positivo: « Sabbata sanctifices » (S. Thomas, 2, 2, 122, 4, ad 1).

Quod divinum mandatum Ecclesia proponit in duo-

bus extremis : sacro interesse, et operibus abstinere servilibus.

DE AUDITIONE SACRI.

23. In primis itaque Christifideli opus est sacro interesse : quod intelligitur, si adstet celebranti et per totum adstet sacrificium, corpore et animo simul.

Quæ corporis præsentia debet esse moralis et continua.

Præsentia vero animæ in mentis attentione consistit, sive ea sit interna, sive externa.

24. Hinc quæstioni : Quibus ex causis Christianus ab audiendis sacris excusari possit? Theologi solent respondere, aientes quamlibet causam, et si mediocriter gravem, hominem excusare, quæ notabile incommodum, vel damnum propriæ animæ, propriove corpori, vel proximo afferat (S. Lig., n. 324).

Quod incommodum grave, justumque impedimentum solet æstimari a pietate, a consuetudine, denique a superioris dispensatione.

DE OPERIBUS VETITIS IN DIEBUS FESTIS.

25. Opera quæ a creatura rationali redigi possunt sunt tria : nimirum vel corporis, vel mentis, vel utriusque.

Quæ ad quatuor capita reducuntur :

1° Corporis, quæ a servis, seu mercenariis, fieri solent;

2° Animæ, quæ a personis liberis ordinario fieri possunt;

3° Utriusque, quæ ab omnibus indiscriminatim fiunt.

4° Recensentur opera forensia.

26. Prohibentur omnibus opera primi generis, ex cap. 8 de Feriis, Decret. Gregorii IX.

Prohibentur forensia, ex cit. cap., excepta causa criminali jam incœpta, quæ nequeat interrumpi.

Prohibentur mercaturæ, nundinæ, venditiones publicæ et similia, quæ strepitu fiunt, nisi aliud rationalis velit consuetudo. (Benedictus XIV, Constit. quæ incipit : Ab eo tempore.)

Non prohibentur liberalia et quæ ad quotidianum usum necessaria sunt; sed dantur in omnibus his capitibus exceptiones, quæ tamen hic nostrum non est considerare.

27. Causæ demum propter quas Christifidelis excusari potest a servilibus sunt plures, sed facile ad has duas revocari possunt : ad pietatem scilicet et necessitatem.

Necessitas hæc primum est vel publica, vel privata.

Publicæ minus gravis ratio sufficit, privatæ gravis prorsus debet esse causa.

Deinde excusat pietas, id est religionis causa; sed hic animadvertendum utrum proximæ an remotæ sint, quæ ad Dei cultum pertinent, ut templum ornare, vel ædes sacras reficere, etc. Primum licet ex juxta causa, alterum ex gravi tantum.

28. Disputatur nunc : Utrum pictura sit opus servile, vel non?

Duplex est opinio. Affirmant Suarez, Sanchez et Salmanticenses; negant probabilius Layman, Sa, Pa-

laus, Roncaglia, Anacletus et Holzman; quia cum tendat ad animum recreandum, magis in eo mens operatur, quam manus; ideoque potius est dicendum opus liberale : quod verum arbitror.

29. Deinde quæritur : Utrum præceptum sanctificandi festa obliget sub gravi?

Et a communi Theologorum affirmativa proponitur responsio ex illa propositione, ab Innocentio XI damnata : « Præceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus. »

30. Hactenus de Sanctificatione Festorum. Nunc

DE VOTO.

31. Votum, ait S. Thomas, est « promissio deliberata, facta Deo de bono meliori et possibili. »

Est promissio. Atqui promissio in actu voluntatis consistit, per quem aliquis ad aliquid agendum, vel omittendum se obstringit : hinc intelligi nequit nisi vera. Et erit vera promissio, cum secumferat animum se obligandi plena advertentia rationis, proindeque dicitur promissio deliberata.

Quo posito, quæritur : Si dubitetur utrum adfuerit vera deliberatio, emissum votum secumfertne vim obligandi?

Pichler, h. t., n. 3, cum aliis autumat votum hujusmodi non obligare; e contra Engel, h. t., n. 5, aliique judicant obligare. Sed puto veriorem esse Pichler sententiam, ex hac simplici consideratione : in dubiis scilicet standum esse pro libertate.

32. Promissioni vere deliberatæ opponuntur ignorantia, error et metus.

33. Hinc quæritur : Utrum votum ignorantia obligationis emissum valeat, nec ne?

Et distinguendum : vel vovens versatur in omnimoda ignorantia, vel in tali, ut saltem in confuso obligationem cognoscat.

Neminem præterit in prima hypothesi voventem liberum esse a voto, quia hoc sine intentione sese obligandi non intelligitur.

E converso autem in secunda, quia saltem vovens intendit votum facere, prout cæteri omnes vovere solent.

34. Quæritur : Utrum validum sit votum errore factum?

Et nos jam alibi diximus varias erroris divisiones, inter quas non ultimam recensuimus illum versari posse vel circa substantiam rei, aut quoad circumstantias rei substantiales, vel circa accidentalia rei, aut quoad circumstantias rei accidentales; et sub distinctione hac jam certam constitutamque quæstionis habes resolutionem.

Error nimirum cum substantiam pertingat, aufert in re voluntarium ; ideoque res promissa est neque cognita, neque volita.

Contra vero cum error sit in re accidentali.

35. Quæritur : An valeat votum metu factum?

Et præcise negamus, si metus sit ab extrinseco, injustus, cadens in virum constantem et directe incussus ad votum extorquendum. Et jure; nam Deus, misericordiæ et bonitatis dives, hujusmodi non excipit promissionem.

E converso, si metus sit levis et indirectus,

36. Dicitur in definitione : facta Deo (promissio). Et sane planum est votum esse actum religionis, actum latriæ cultus. Atqui soli Deo honor et gloria, id est illi soli cultus latreuticus est debitus.

Unde quæstioni : Utrum votum factum Sanctis sit verum votum? aperta est responsio; nimirum tunc solum vere evadit votum, cum emissum in honorem Sanctorum ad Deum ipsum immediate referatur.

37. De bono meliori.

Bonum dicitur quod est in se honestum ac justum, Deoque gratum; idcirco non sufficit ad votum res tam de se, quam respective indifferens ad finem.

Meliori, quatenus nempe comparatio sit inter unum vel alterum et omnibus spectatis melius quam oppositum eligitur. Promissio enim quæ impedit majus bonum detrahit aliquo in modo Dei cultui, ideoque nec est ipsi grata.

38. Dicitur de bono possibili, ex eo quod impossibilia promittere idem est ac mentis impotentiam ostendere, e. g., si quis votum emittat numquam venialiter peccandi.

Materia igitur voti debet esse moraliter bona et moraliter possibilis.

39. Cognito ex his in quonam votum consistat, videndum nunc quotuplex sit.

Et ne solliciti simus illud considerare relate ad rem, ad personam voventis, ad formam voti generice illud dicimus esse triplex :

1° Solemne, vel simplex ;

2° Personale, vel reale ;

3° Temporaneum, vel perpetuum.

Dicitur solemne, quando solemniter fit et solemniter ab Ecclesia excipitur. Secus simplex.

Dicitur personale, si actio aliqua vel omissio promittitur.

Dicitur reale, si promittitur res a persona separabilis.

Appellatur temporaneum, si ad tempus;

Perpetuum, si toto hujus vitæ curriculo servandum sit.

40. Nunc disputandum utrum licitum sit vovere?

Veniunt Lutherus et Calvinus, et aiunt licitum esse votum, si fiat de iis quæ jam in lege præcepta sunt; impium autem ac turpe, si de iis quæ a lege præcepta non sunt.

Sed nos, more solito, contra istam cerebrosam distinctionem asserimus generatim

LICITUM ESSE VOVERE.

Nostra vero assertio fundatur in Scripturis, traditione et ratione.

Et sane quod licitum sit vovere luculenter patet ex pluribus Scripturæ testibus, præsertim Num., 30, v. 3; Deuter., 23, v. 21.

Quod autem Sacra Eloquia nullam votorum faciant distinctionem, clare evincitur ex verbis Psal. 49, et Eccl., 5, in quibus de omnibus votis dicitur generatim: « Redde Altissimo vota tua. Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere. »

Idem concludit et traditio. A sæculo IV, sane Concilium Eliberitanum in perpetuum a fidelium communione arcebat virgines, quæ votum castitatis violave-

rant. Idem et ratio confirmat. Profecto votum, ut nuper explanavimus, est promissio deliberata, facta Deo de bono meliori. Per votum igitur voluntas nostra firmatur in bono ac proinde in Deo Optimo Maximo, veluti in summo bono : ergo per votum voluntas ad perfectionem pergit.

41. Quibus positis, aliquid dicendum est de voti obligatione.

Principio enim ad vovendum nulla est obligatio; sed posito voto, illud necessario implendum est. Ait D. Aug. : « Quia vovisti, jam te obstrinxisti, aliud tibi facere non licet..... vovere est voluntatis, sed reddere necessitate. » Votum sane est quasi quædam lex privata, quam quis sibi imponit. Atqui lex, ejusque præcepta obligandi vim secumferunt : ergo et votum. Ac eo modo, quo Ecclesiæ præceptum obligat per se, ita et votum. Atqui Ecclesiæ præceptum obligat sub gravi et sub levi; sic votum obligat sub gravi, vel sub levi, juxta quod vovens se obstrinxit leviter, vel graviter : votum sane obligat secundum voventis intentionem.

42. Quando autem quæritur quænam sit materia gravis, vel levis in voto, facile respondemus materiam esse gravem, vel levem, quando sub gravi, vel sub levi ab Ecclesia proposita est; vel cum comparata sit alio cum præcepto leviter, vel graviter obligante.

43. Constituto itaque quod votum importet vim obligandi, quæritur nunc quotuplex peccatum committat, qui votum violat?

Et distinguendum est. Si votum sit de re jam ab Ecclesia præcepta, tunc duplex est in violatione pec-

catum : unum contra virtutem ad quam in specie refertur, aliud contra virtutem religionis. Sin vero votum sit de nullimode præceptis, tunc datur tantum peccatum contra religionem.

Et interpretatio voti desumenda est ab ipsa voventis voluntate, a qua votum vim suam habet.

44. Sed votum estne semper semel emissum, vel aliquando potest cessare?

Et potest cessare.

45. Igitur de voti cessatione.

Votum multipliciter cessare potest :

1° Per cessationem causæ finalis;

2° Per notabilem materiæ mutationem;

3° Per commutationem;

4° Per dispensationem;

5° Per irritationem.

46. Extinguitur votum per cessationem causæ finalis, ex eo quod finita causa, cessat omnis ratio vovendi.

47. Extinguitur per notabilem mutationem materiæ; nam illa notabiliter mutata, merito præsumitur vovens numquam habuisse in his adjunctis se obligandi intentionem.

48. Quoad commutationem, tres hypotheses fieri possunt : vel commutatio fit in melius, vel in æquali, vel in minus bonum.

Planum est voventem posse commutare, sua etiam privata auctoritate, votum suum evidenter in melius.

Planum est in minus bonum non posse commutare; promissio enim Deo facta integre et devote perpetuo est servanda.

Quid in æquali? Et evidens est votum in æquali

sua auctoritate non posse commutare; quoniam posita promissione, Deo est gratius illam ex fidelitate excipere, quam aliam æqualem arbitrio voventis substitutam acceptare.

49. Nihil dubium denique adest, quod votum cesset post dispensationem a legitimo superiore factam; nam dispensatio voti est voti remissio, facta Dei nomine ob justam causam ab habente spiritualem jurisdictionem in foro externo : Ecclesia enim habet potestatem dispensandi.

Ait profecto Matth., 16, 19 : « Quodcumque ligaveritis, ligatum; quodcumque solveritis, solutum erit. »

Possunt in non reservatis Episcopi et Prælati quasi episcopalem obtinentes jurisdictionem etiam dispensare. In reservatis, solus S. Pontifex.

Reservata autem sunt quinque :

1° Votum castitatis perfectæ et perpetuæ;

2° Votum ingrediendi religionem ab Ecclesia approbatam;

3° Votum peregrinationis ad sepulchrum Christi Hierosolymis ;

4° Peregrinationis ad limina Apostolorum;

5° Peregrinationis ad S. Jacobum Compostellæ.

50. Per irritationem tandem votum cessat. Irritatio revera est annullatio voti, facta ab eo cujus potestati subest voluntas voventis, aut materia voti.

Hinc vota impuberum simpliciter et directe irritari possunt a patre (can. 2, caus. 20, quæst. 2) : maritus potest irritare vota uxoris, quæ usui Matrimonii se opponunt, et sic deinceps.

51. Et satis de Voto, insimulque de præsenti dis-

ceptatione. Locuti sumus sane de virtutibus religionis, et de his breviter summa diximus; deinde verbum de Voto habuimus in suo esse constitutivo atque sua in evolutione: quod erat demonstrandum.

Et sic explicit etiam postrema ex quatuor thesibus, a S. Theologia Morali depromptis.

Nunc ad S. Scripturam.

EX SACRA SCRIPTURA.

I

MOYSES SUMMAM MERETUR FIDEM IN NARRATIONIBUS EVENTUUM SIVE NATURALIUM, SIVE SUPERNATURALIUM, QUI IN SUO PENTATEUCHO DESCRIBUNTUR.

THESIS 23ª.

—

1. Cum Deus omnipotens ex suæ voluntatis nutu hominem hoc in orbe terrarum constituerit, illi facultates indidit, ut verum cognosceret, ut bonum consectaretur. Sed creatura rationalis qualis nunc nascitur est sibi ipsi inexplicabile enigma, ita ut sine lumine revelationis facile ex eo dissolvi non possit. Præcellit sane animantia omnia ratione; ac tamen veluti illa expositus est cujuscumque generis infirmitatibus. Præest profecto animantibus, sed magis quam ipsa in incertissima vivit vita, cum doloribus vix aut ne vix quidem ferendis. Quærit hujus rei causas, nec

invenit; quærit sui status veram notitiam, sed frustra quærit.

Hinc veteres Philosophi justam ignorantes tantorum malorum causam, ignorantes nimirum peccatum originale ex quo hæc omnia fluunt, huc illuc errarunt; et tunc accusaverunt naturam, quasi esset magis iniqua in hominibus quam in bestiis (Cicero, in libr. 3 de Republica, apud S. Aug., libr. 4 contra Julianum, cap. 12). Tunc statuerunt duo summa rerum principia: unum bonum et unum malum, uti Manichæi; tunc denique autumarunt his ærumnis homines esse subjectos propter scelera in altera vita commissa, uti Pythagorici in sua Metempsychosi.

2. Sed cum artifice maximo, insimulque misericordiæ sapientiæque diviti quomodo hæc concilianda confusio?

Erat necessaria revelatio, quæ omnia explanaret et hominem in recto tramite redigeret, ut tandem æternum assecuturus esset gaudium.

3. Revera hæc revelatio divina facta est, et in Libris Sacris continetur.

Qui libri constituunt S. Scripturam. Hinc facile est cognoscere sub nomine S. Scripturæ intelligi libros, Deo inspirante conscriptos, atque ut tales ab Ecclesia propositos.

Qui libri generatim dividuntur et constituunt Vetus et Novum Testamentum.

Sunt Protocanonici ac Deuterocanonici.

Sunt. Legales, Historici, Sapientiales ac Prophetici.

4. Sed de his omnibus, juxta nostrum institutum, quomodo pertractemus? Impossibile est enim summa

capita compendiose pertingere; ideoque duo tantum ex tam sublimi atque indefinita materia selegimus themata, et in primis postquam breviter aliquid dixerimus de præcipuis sensibus, qui in S. Chartis continentur, probare studemus Moysem summam mereri fidem in narrationibus eventuum sive naturalium, sive supernaturalium, qui in suo Pentateucho describuntur; deinde paucis delibatis de juribus Hebræorum moralibus et cæremonialibus, ostendere conabimur civilia jura Hebræis data esse justissima, et ad reipublicæ utilitatem, felicitatemque sapientissime directa. Id autem complectimur duabus oppositis disceptationibus.

5. Hinc immediate ad primam.

Unusquisque sanæ mentis videt Sanctas Scripturas non ita esse apertas, ut cuicumque, veluti fingunt plerique Novatores, obviæ sint, sed egere expositione præsertim ob reconditos sensus, quos in se ipsis continent. Ait in re S. Aug., lib. 2 de Doctrina Christiana, cap. 6: « Quod totum provisum divinitus esse non dubito, ad edomandam labore superbiam et intellectum a fastidio removendum, cui facile investigata plerumque vilescunt. »

Quo posito, incivile est de hoc sacro volumine etiam in paucis tenere sermonem, sine antecedenti illius sensuum disquisitione.

6. Sensus itaque est in genere mens auctoris.

Sensus S. Scripturæ est illa rerum notio, quam Scriptores sacri in mentem habuerunt, vel quam Spiritus Sanctus per verba Scriptorum sacrorum significare intendit.

Duplex est Scripturæ sensus: litteralis, seu historicus, id est quem voces menti subjiciunt, et spiritalis, seu mysticus, quem res vocibus expresse significant.

Sensus autem litteralis est vel proprius, vel improprius, seu figuratus; et primus, cum verba propria significatione, et alter, cum metaphorice voces usurpantur.

Sensus vero mysticus dispescitur a Doctoribus in allegoricum, tropologicum et anagogicum.

Allegoricus, quando in Veteri Testamento aliquod exponitur de aliqua veritate Novi Testamenti, v. g., de Christo, vel de Ecclesia sua;

Tropologicus, cum ad mores res referuntur;

Anagogicus denique, qui vitam respicit futuram.

7. Recensetur insuper sensus accommodatitius, scilicet ille, quem voces atque enunciationes Scripturarum prætereunt, cum aptantur aliæ rei exprimendæ ac ea sit, quam auctor expresserit.

8. Hic quæri solet, utrum in Scriptura locum habeat sensus accommodatitius. Et mihi videtur nullum adesse dubium, quod in Scripturis hujusmodi sit sensus.

Et sane in Apocalypsi, 11, 4, legitur : « Hi sunt duæ olivæ, et duo candelabra in conspectu Domini terræ stantes. » Quæ verba sunt Zachariæ, 4. Jam vero Zacharias ea dicit de Jesu sacerdote, filio Josedech et Zorobabel. Et S. Joannes ea usurpat et accommodat duobus illis in fine mundi testibus, qui communi sententia censentur fore Enoch et Elias.

Regalis Propheta, in Psal. 117, 6, ait : « Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo. »

Et Apost. Paulus ait de se ad Hebræos, 13, 6: « Ita ut confidenter dicamus: Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo. » Et tamen neque Psaltes hæc verba de Paulo dixit, nec Paulus illa usurpavit quasi a se prolata, sed in sensu accommodatitio.

Ergo in Scripturis hujusmodi datur sensus.

Sed ex hoc venit forsitan, ut omnia sint in Scripturis sensu accomodatitio dicta ut Vaticinia, Prophetiæ, etc.? Minime; ideoque frustra terunt tempus Increduli ad id concludendum.

9. Quibus compendiose præmissis, asserimus his in sensibus locutum fuisse Moysem in Pentateucho, suis tamen in relativis adjunctis variisque circumstantiis; proindeque fidem in narratis summam mereri: quod luculenter apparebit in hujus disceptationis curriculo.

10. Insurgunt enim vero etiam hic Neoretici, et uti fidem sacro Scriptori labefactare valeant, aiunt non posse Moysem illa quæ narrat in Genesi tam longe ante se gesta, et illa fere omnia in aliis Pentateuchi libris cognoscere; ipsi enim oggamniunt defuisse opportuna documenta, aliasque necessarias notitias ad historiam suam concinnandam.

Sed nos hæc futilia Novatorum, innumeraque alia hujus generis inferius resolventes, hic interim contra illos hanc statuimus propositionem:

MOYSES SUMMAM MERETUR FIDEM IN NARRATIONIBUS EVENTUUM SIVE NATURALIUM, SIVE SUPERNATURALIUM, QUI IN SUO PENTATEUCHO DESCRIBUNTUR.

11. Et sane ille dicendus est omnem in narrationi-

bus eventuum sive naturalium, sive supernaturalium fidem mereri, qui 1° plenam habet scientiam rerum; 2° pollet reipsa voluntate vera dicendi in his quæ narrat; 3° cujus vera et indubitata sunt facta ipsa narrata.

Atqui Moyses in Pentateucho exarando habet plenam rerum scientiam; pollet reipsa voluntate vera dicendi in his quæ narrat; facta ipsa relata sunt vera atque indubitata.

Ergo.

12. Et profecto, habet plenam rerum scientiam.

Moyses revera est missus a Deo, est Dei voluntatis in lege veteri executor. Atqui missus a Deo, Dei voluntatis in veteri lege executor certe per verbum revelatum omnia cognoscere debebat, quæ ad sui missionem relativa essent. Hinc ex hoc principio luculenter patet vera scripsisse; quia, Deo afflante, omnia exaraverit, proindeque omnem summam mereri fidem.

13. Sed citra revelationem illi divinitus factam, ad ejus notitiam res venire potuerunt vel ex incorrupta Patriarcharum traditione ore tenus demandata, vel denique ex propria scientia.

Diluvium universale profecto, secundum doctissimos S. Scripturæ Interpretes, accidit a M. 1656. Quo posito, sic chronologiam in re ipsi constituunt:

Adamus vixit annos 930 (Genes., 5, 5). Mathusala annos 969 (Genes., 5, 27). Mathusala igitur convixit Adamo 243. Cum Mathusala Noe convixit annos 600, utpote quo anno sexcentesimo vitæ Noe diluvium contigit, et ad quem annum Mathusala vitam produxit. Noe habuit inter filios Sem, qui vixit cum Abraham

annos 150. Siquidem Sem vixerit ultra diluvium annis 502 (Gen., 11, 10-11). Abraham vero natus sit anno post diluvium 352. Cum Abramo Jacob vixit annos 15. Siquidem Abraham vixerit annos 175, et Isaac filius, anno ejus centesimo natus, Jacobum genuerit anno ætatis suæ 60 (Genes., 25, 7). Inter autem Jacobi mortem et nativitatem Moysis intercesserunt anni 118, qui reperiuntur, si ab annis 215, quibus Israelitæ habitarunt in Ægypto ab eorum adventu cum Jacobo anni 17 subtrahantur, quibus Jacob post adventum superstes fuit in Ægypto; itemque anni 80, quibus Moyses vixit antequam, eo duce, Israelitæ abiissent ex Ægypto (Genes., 47, 9, 28; Exod., 7, 7).

Unde revelatio primum Adamo a Deo facta fuit, deinde per non interruptam traditionem etiam ore tenus fuit Moysi participata. Hinc scripsit de mundo et de sua origine; hinc de homine, et sic deinceps.

14. Sed huic sacro Scriptori verbi Dei revelatio et Patrum non interrupta traditio fuit necessaria tantum in illis rebus, quæ evenerunt ante ipsum et ab eo in Genesi relatæ.

Nam si sermonem habemus de illis, quæ in Exodo, Levitico, Numeris et Deuteronomio narrat, ea vel oculari inspectione didicit, vel denique ipsemet gessit.

Et sic satisfecimus magnæ Novatorum difficultati, qui falsa aliqua suppositione fidem Pentateucho denegarunt, ex eo quod Moysi facultas facta non esset cognoscendi quod scripsit.

Ergo Moyses in factis Pentateucho narratis sive naturalibus, sive supernaturalibus habuit plenam rerum scientiam.

15. Pollet reipsa voluntate vera dicendi in his quæ narrat.

Et re quidem vera, quod Moyses fuisset vir summa sapientia præditus, notum ita inter omnes fuit, ut nequidem ei hujusmodi qualitatem sacerdotes Ægyptii denegaverint. Sic Diodorus Siculus testatur, sic et Artapanus.

Sed ne nimis solliciti simus in re testes audire, si aliquod de ejus scriptis examen agamus, illico exsurgit excellentia doctrinæ sive dogmaticæ, sive moralis, sive civilis politicæ, ita ut neque illa sapientior, neque in suis adjunctis fuerit.

16. Hic sacer ac sapiens Scriptor fuit decoratus probitate summa, quæ liquet ex characteribus intrinsecis Pentateuchi, liquet ex simplicitate dictionis, ex perspicuitate sermonis, ex brevitate narrationis, ex sinceritate mentis et doctrinæ.

Contra si Judæos aliosque fallere voluisset, tunc homo callidus esset, fanaticus, in suis scriptis freneticus, in actionibus externis exagitatus. Esset magnatum adulator, suæ virtutis et sanctitatis ostentator; propriis studeret utilitatibus, potentiam atque honores quæreret, proprios dissimularet errores, orationis vanitatem, plausumque consectaretur. Sed Moyses potius quam his indulgeret vanitatibus, rectam virtutem prosequi, verumque exponere conatus est.

Ergo noluit decipere Judæos.

17. Sed posito parumper quod illos decipere in deliciis ei esset, addo non potuisset. Judæi enim æque ac Moyses de rebus narratis vel cognitionem habebant ex antiquis documentis, vel præ oculis illas tenuere, vel demum cum Moyse operati sunt.

Recensentur insuper uno ordine festi dies Hebræorum suis cum adjunctis sive locorum, sive temporum, sive denique cum ritibus in circumstantiis adhibitis. Quæ omnia concludunt Scriptorem noluisse decipere Judæos, sed veritatem exponere.

18. Præterea ipse ingenue sua, suorumque vitia manifestat. Non tacet sane se interfecisse Ægyptium, non silet vitia Annæ sororis, etc.

Redarguit populum, illius vitia aperit, refractarium vocat, duræ cervicis, idolorumque cultorem. At quomodo si hæc falsa fuissent, siluissent coævi?

Ergo Moyses pollet vera voluntate dicendi.

19. Retulit tandem facta, quæ ante omnium oculos evenerunt et appellat ad eorum testimonium (Exod., 19, 4) : « Vos ipsi vidistis quæ fecerim Ægyptiis, quomodo portaverim vos super alas Aquilonum, et assumpserunt mihi. » Et vers. 8 : « Cuncta quæ locutus est Dominus faciemus. » Quo posito, quomodo asserere Moysem velle Judæos decipere?

20. Idem valet, quinimo a fortiori valet, quoad narrationem miraculorum. Ipse sane ex miraculorum historia aliqua deducebat funesta Judæis, et a quibus summopere abhorrebant.

Et 1° deducebat Hebræos esse adeo perfidos et beneficiorum immemores, ut nulla unquam quis tam perfida viderit.

2° Infamiam esse aliorum deorum cultum, et inter gentes Judaicam procliviorem exstare Idololatriæ.

3° Colendum atque diligendum esse Deum super omnes et omnia. Quod huc illuc repetit in Pentateucho Moyses.

Ergo nequit concipi ipsum coævos voluisse decipere. Ac posita perabsurdum hypothesi id voluisse, planum est non potuisse.

Ergo pollet reipsa veritate dicendi, in his, quæ narrat.

21. Sed tandem vera et indubitata sunt facta ipsa narrata.

Et re quidem vera, ut factum quodcumque verum renunciandum sit, oportet ut habeat proprias notas, propriosque characteres, et sunt :

1° Ut factum sit gravis momenti et capax attentionem hominum excitandi;

2° Ut publicitate gaudeat, fraudes, dolosque vitandi causa ;

3° Ut referatur a scriptore coætaneo ;

4° Ut fidem obtineat apud eos, quibus imponi quæratur ;

5° Denique ad ejus memoriam perpetuam perpetua monumenta supersint.

Atqui notis his, characteribusque fruuntur facta a Moyse narrata in Pentateucho. Ergo.

Et sane erant gravis momenti ; ex illorum enim veracitate vitam Israelitici populi pendebat, ex falsitate autem indubitatum excidium.

Erant ita in populos divulgata, ut non modo Hebræis nota essent, sed etiam toto Ægypto pervulgarentur.

Porro de his non scriptor coætaneus tantum locutus est, sed tota antiquitas atque universalis traditio illa nobis demandarunt. Quisnam fuit revera cui ignotum erat Moysem instituisse Hebræorum rempublicam ?

quisnam ignorare potuit Ægypti plagas, earumque veritatem? Sed curnam credimus Xenophonti, qui scripsit de celebri Græcorum, qui Cyro juniori opem tulerant receptu?

Curnam de bello Peloponesiaco ex Thucydide haurimus?

Curnam bello Gallico credimus ab ipso Julio Cæsare narrato, et fidem non præstamus Moysi, qui refert facta fere omnia intra quadraginta annos, suos ante oculos gesta?

Ex nulla alia causa, nisi ex Novatorum pervicacia, qui pro lubito tenent omnia sacra funditus evertere. Sed frustra tempus et voces terunt.

Certum indubitatumque est in narratione Mosaica contineri eventus, qui populo Israelitico imponendi erant. Atqui incredibile est populum hujusmodi se mendaciis subjicisse.

Monumenta denique, quæ deinde superesse visa sunt, nostram confirmant thesim. Vides reapse festivitates creatas, nomina ad aliquod insigne factum conservandum imposita.

Exod. enim, 12, instituitur Pascha in memoriam internecionis primogenitorum Egyptiorum, ex qua usus consecrationis cujuslibet primogeniti summo Creatori Deo Optimo Maximo. Ex hac ratione vides Encœniam et Tabernaculi diem festum; ex hac tandem tot monumenta, quæ inveniuntur in Pentateucho et quorum etiam nunc clara exstat memoria. Ergo facta ipsa, quæ a Moyse in Pentateucho narrantur, sunt per se vera et indubitata.

22. Ergo Moyses in Pentateucho exarando habet,

plenam rerum scientiam; pollet reipsa vera voluntate dicendi in his, quæ narrat; facta ipsa ab eo relata sunt vera atque indubitata.

Atqui hæc omnia constituunt justum deliberatumque criterium, ut narrata mereantur plenam fidem.

Ergo Moyses summam meretur fidem in narrationibus eventuum, sive naturalium, sive supernaturalium, qui in Pentateucho describuntur.

23. Nihilominus, huic tam evidenti conclusioni, post id quod hactenus disputatum est hæretici, potius quam Sacris Litteris capita deflectant, Dei justam colant doctrinam, subsumere conantur, aliamque viam aggredi student ad suos infestos fines propugnandos.

24. Dicunt profecto fidem non esse Moysi dandam in narratis, ex eo quod ejus intererat facti veritas, et Judæi argui possunt conspirasse in fraudem cum Moyse.

Sed vana futilisque suspicio, quæ tamen aliquod contra adversarios magis miraculosum concludit.

Quomodo revera concipi potest tot hominum centena millium in his, quæ ad ipsos pertinebant in fraudem inductos fuisse, in fraudem scilicet hujusmodi, quæ suo tempore perduravit et usque adhuc perduraret?

Hoc posito in sensu adversariorum, jam habes summum ex miraculis; proindeque certa atque indubitata doctrina a nobis propugnata.

25. Sed instas, si illa, quæ narrantur gesta veritate gauderent, tunc scriptores vel coævi, vel suppares

de his locuti essent: quod minime factum est. Ergo.

Sed etiam nunc hic observare fas est non posse negari factum oculis visum, manibusque contrectatum, deinde ab ipso auctore expositum, ex eo quod alii scriptores de eo verbum non tenent. Dubitamus nos profecto Galliam per Cæsarem domitam fuisse, eo quod ab ipso duce narratur?

Tamen in themate neque defuerunt auctores, qui rerum a Moyse gestarum mentionem fecerunt.

Artapanus revera, ab Euseb. laudatus (Præpar. Evang., l. 9, c. 27), refert asservatam esse ab Heliopolitanis traditionem de trajectione maris Rubri; et narratio hæc convenit adamussim cum illa Mosaica. Diodorus Siculus loquitur de divisione maris Erythræi ad transitum Israelitarum, Tacitus loquitur de aqua ex virga Moysis profluente.

Plinius, Apuleius, aliique referunt Moysem fuisse inter Magos celebratissimum: ergo falsa adversariorum doctrina.

26. Sed instant, asserentes miracula Moysis non esse vere miracula, quia contingunt præter naturæ leges.

Sed in mentem non revocant Novatores Biblici Moysem omnia summa gravitate narrare, tempus narrationis constituere, locum dicere, personas laudare, circumstantias commendare. Ergo quomodo impossibilia, improbabilia dicerent miracula, cum in facto argumentis invictissimis existere probentur?

Neque his comparari licitum est miracula Paganorum; nam ista vel erant privata, vel si publica, non superabant potentiam humanam.

27. Habes profecto in exemplum Egyptiorum plagas et Magorum mirabilia.

Mutantur quidem aquæ in sanguinem, et Magi etiam id faciunt.

Adest immensa ranarum productio, et idem Magi imitantur.

Sed cum venerit innumerabilis sciniphum multitudo, non possunt id Magi imitari et coacti sunt exclamare : « Digitus Dei est hic » (Exod., 8). Et sic de aliis.

Hinc Sanctus Thomas et S. Aug. contra Thomam Morgan. jam dixerunt : « Quæ Magi patrarunt, ope diaboli patrasse; dum ex altero latere, Moyses virtute divina id gesserit. »

28. Neque incredibile est mulieres Hebræas aurum sufficiens dedisse ad vitulum faciendum; nam magna erat multitudo, et si singula mulier unam tantum drachmam exhibuisset, jam satis esset ad vitulum confluendum.

Sic etiam concludes de serpente; nam Hebræi sanati erant visu illius, ex hac simplici ratione, quia id Deus voluit, et sub hoc respectu Deus ipse invocabatur.

Et sic demum dices de aliis in Pentateucho narratis, quæ ab adversariis opponuntur.

Ergo jure ac merito concludimus summam Moysem mereri fidem in narratione eventuum sive naturalium, sive supernaturalium, qui in Pentateucho describuntur; et insimul præsenti finem damus disceptationi, eo quod jam constitutam probavimus propositionem.

EX S. SCRIPTURA.

II

CIVILIA HEBRÆIS JURA DATA JUSTISSIMA SUNT ET AD REIPUBLICÆ UTILITATEM FELICITATEMQUE SAPIENTISSIME DIRECTA.

THESIS 24ª.

1. Plasmavit Deus hominem manibus suis eique in corde indidit jus illud æternum, illam naturalem legem propter quam vitam recto tramite ducere posset, et assequi demum illam beatam sedem ad quam conditus erat. Sed homo potius quam tale scrutaretur jus, idemque prudenter disceret vel non cognovit, vel neglexit. Tunc summus Creator rerum revelatione illud in memoriam revocare dignatus est.

2. Quænam igitur sunt leges revelatæ?

Cui quæstioni ut facilius et clarius reponi possit, oportet ut tria distinguamus tempora, a mundi creatione prolapsa :

Tempus nimirum 1° a Protoparente Adam ad Moysem; 2° a Moyse ad Christum; 3° a Christo ad nos.

3. Neminem præterit cum homine in primo illo temporis intervallo Deum ore suo plerumque locutum fuisse, et suis in sermonibus vitæ et mortis, justi atque injusti, boni ac mali doctrinam dixisse. Quæ omnia, in admonitione, Genes., 4, v. 7 (sicuti postea Moyses refert) comprehensa sunt: « Nonne si bene egeris, recipies? Sin autem male, statim in foribus peccatum aderit. »

Ex quo vides Deum ex se nimis sollicitum esse populum suum regere, eique sæpius in mentem jura naturæ revocare.

Hinc vides, cum nulla lex adfuerit scripta, illud temporis intervallum dici solere tempus legis naturæ.

4. Non loquimur hic de intervallo temporis a Christo usque ad nos, quia id prohibet nostra thesis; tantum animadverto hoc tempus optime nuncupatum esse tempus legis Evangelicæ, tempus legis gratiæ.

Verbum divinum sane cum carnem assumpserit humanam, formam servi accipiens, et habitaverit in nobis, non venit solvere legem, sed adimplere.

Hinc quod dictum erat a Patribus et Prophetis per figuram, per J. Christum realitate fuit completum.

Unde lex, quæ antea erat insculpta in cordibus hominum per generis humani divinum Redemptorem luculenter patefacta, ac per ejus gratiam ejusque merita facilior reddita est ad finem ultimum obtinendum.

5. Veniamus nunc ad medium tempus, id est a

Moyse usque ad Christum; ad illud tempus nimirum, quod nuncupatur tempus legis scriptæ, quæ lex præcise regit populum Hebraicum.

6. Et quæritur : Quot et quænam jura Deus per Moysem in lege scripta Hebraicæ Reipublicæ promulgaverit?

Tria jurium genera huic genti Deus per Moysem dedit :

1° Moralia, seu naturalia; 2° cæremonialia, seu canonica et ecclesiastica; 3° politica, seu judicialia et civilia.

Omnia persequar in præsenti, sed compendiose de duobus prioribus legum generibus; prolixius de tertio verbum agam.

7. Ad primum.

Quid veniat sub nomine legum moralium a Moyse Hebræis datarum, et quænam præcipuæ sint.

Moralia præcepta a Moyse Hebræis data sunt ipsamet præcepta naturalia : quod unicuique manifestum erit, si parumper sacrum consideret Decalogum.

Jam vero in Decalogo inveniuntur præcipua juris naturæ capita, quæ spectant officia erga Deum, erga proximum, erga nosmetipsos.

8. Quæ omnia recensita habes in Exod., cap. 20, v. 3 : « Non habetis Deos alienos coram me. »

V. 4 : « Non facies tibi sculptile. »

V. 7 : « Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum. »

V. 8 : « Memento ut diem Sabbati sanctifices. »

V. 12 : « Honora patrem tuum et matrem tuam. »

V. 13 : « Non occides. »

V. 14 : « Non mœchaberis. »

V. 15 : « Non furtum facies. »

V. 16 : « Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. »

V. 17 : « Non concupisces domum proximi tui, nec desiderabis uxorem ejus. »

Non loquimur speciatim de his, quia 1° id vetat propositum nostrum ; et 2° nos jam aliquid diximus, cum de amore erga Deum, erga proximum et erga nosmetipsos in Theologia Morali pertractavimus.

Nam in illo : « Diliges Deum tuum super omnia..... diliges proximum sicut teipsum, » omnia alia continentur præcepta, quæ hactenus recensuimus.

Proindeque solum hic recitamus verba S.. Thomæ in 1ª p., quæst. 100, art. 1 : « Cum, inquit Angelicus Doctor, moralia præcepta sint de his, quæ pertinent ad bonos mores, hæc autem sint, quæ rationi conveniunt ; omne autem rationis humanæ judicium..... a naturali ratione derivetur necesse est, ut omnia præcepta moralia pertineant ad legem naturæ, sed diversimode : quædam enim sunt, quæ statim per se ratio naturalis cujuslibet hominis dijudicat esse facienda, sicut Honora patrem tuum et matrem, et Non occides, Non furtum facies, et hujusmodi sunt absolute de lege naturæ : quædam vero sunt, quæ subtiliori consideratione rationis a sapientibus judicantur esse observanda ; et ista sic sunt de lege naturæ, ut tamen indigeant disciplina, qua minores a sapientibus instruantur, sicut illud : Coram capite consurge, et Honora personam senis, et alia hujusmodi.

Quædam vero sunt ad quæ judicanda ratio humana

indiget instructione divina per quam erudimur de divinus, sicut est illud : « Non facies tibi sculptilia, etc. »

9. Ad secundum.

Utrum a Moyse datæ fuerint Hebræis leges cæremoniales, et quænam sint?

Quod Moyses dederit leges cæremoniales genti Hebraicæ, unicuique datum est videre, si tantum libros perlegat Mosaicos.

Sed quænam sunt?

Tractatores et S. Scripturæ Interpretes ad quatuor classes hujusmodi leges fere innumeras reducunt : ad Sacrificia scilicet, ad Sacramenta, ad Sacra et denique ad Observantias.

Varia itaque erant sacrificia, et omnia complebantur animantium oblatione, aut fructuum telluris.

Sacramenta in signo rei sacræ continebantur, ut Agnus Paschalis et Circumcisio. Functiones autem, quæ in sacrificiis locum habebant, sacra dicebantur, et nos vere cæremonias nuncupamur.

Sub nomine denique observantiæ nonnullæ consuetudines religiosæ veniebant.

Quibus positis, operæ pretium erit in themate audire S. Angelicum Doctorem, p. 2, qu. 101, art. 4 : « Cæremoniales leges enim, inquit, omnes cultum Dei spectant. In hoc autem cultu tria considerari possunt :

« 1° Ipse Cultus, 2° Cultores, 3° Instrumenta colendi.

« Cultus in sacrificiis proprie positus est. Instrumenta cultus pertinent ad sacra, sicut Tabernaculum Arcæ Fœderis, Vasa, Vestes sacerdotales, Solemnitates. In

cultoribus vero duo spectari possunt; scilicet eorum institutio ad cultum divinum, quod fit consecratione quadam, vel singularis eorum conversatio, seu ratio vivendi et agendi, qua distinguuntur ab illis, qui verum Deum non colunt, cujusmodi sunt observantiæ in cibis, vestibus et similia. »

10. His delibatis, quæritur: 1° Utrum dentur rationes propter quas leges cæremoniales statutæ sint?

Nos rejicientes omnes illos, qui legibus cæremonialibus omnem denegant rationem; rejicientes quoque illos, qui tantum admittunt Deum illas statuisse ad solam sui autocratiam ostendendam, asserimus hujusmodi leges habere rationem existendi et earum existentiæ plura esse motiva.

Et sane adversarii concedunt illas esse a Deo. Nos ex hac unica concessione concludimus: ergo habent rationem existendi.

Hujusmodi leges fert Deus ad utilitatem populi Hebraici:

Ergo non est sola ratio earum existentiæ sola Dei autocratia, et sic deinceps.

11. Quæritur secundo: Utrum hæ ceremoniæ sint inutiles atque Deo indignæ?

Sunt neque Deo indignæ, neque inutiles.

Non indignæ Deo, quia nihil impuritatis aut malitiæ in se continebant, veluti illæ Gentilium cæremoniæ.

Non inutiles, quia per eas populus Israeliticus a gentibus idolatricis distinguebatur; ut per eas semper Hebræorum memoriæ revocarentur Dei beneficia in his cumulata, ut Hebraica gens a cultu superstitioso Pa-

ganorum, alliceretur ad cultum veri Dei religiosum.

Hinc Chrysostomus, Comment. in Isaiam, sic verba profert : « Præcepta ritualia, inquit, ideo data fuisse, ut per assiduam eorum observantiam a cultu dæmonum ac idolorum Judæi abducerentur, non propter utilitatem ex eorum observantia prodeuntem. »

Demum hæ cæremoniæ erant figuræ Messiæ, Judæis a Deo adpromissi.

Ergo neque Deo indignæ, neque inutiles.

12. Denique ad tertium.

Quæritur : Utrum in lege Mosaica sint jura politica, seu judicialia et civilia ?

Et absque ulla dubitatione affirmative reponimus. Legitur sane Deuteron., 6 : « Hæc sunt præcepta et cæremoniæ et judicia. »

Præcepta autem onomastice dicuntur Moralia : ergo præter præcepta moralia et cæremonialia sunt judicialia.

Et jure ; nam determinatio communis præcepti de justitia observanda inter homines determinatur per præcepta judicialia.

13. Et secundum hoc, ait S. Thomas, qu. 99, art. 4 : « Oportet tria præcepta legis veteris ponere : scilicet Moralia, quæ sunt de dictamine legis naturæ, Cæremonialia, quæ sunt determinationes cultus divini et Judicialia, quæ sunt determinationes justitiæ inter homines observandæ. »

14. Quæ autem judicialia præcepta distinctionem habent secundum distinctionem ordinationis humanæ.

Atqui humanæ ordinationis distinctio est quadruplex. Quadruplex enim ordo in aliquo populo inveniri

potest : unus quidem Principum populi ad subditos, alius autem subditorum ad invicem, tertius vero eorum qui sunt de populo ad extraneos, quartus denique ad domesticos, sicut patris ad filium, uxoris ad virum et domini ad servum.

Et secundum istos quatuor ordines possunt nimirum distingui præcepta politica, seu civilia et judicialia veteris legis.

15. Quibus omnibus hactenus disputatis, constat existere in lege Mosaica jura politica, quæ in se contineant reales distinctiones.

Quæritur : Utrum hæc civilia jura data Hebræis sint justa et ad Reipublicæ utilitatem felicitatemque directa ?

Et etiam hic, secundum eorum impium irreligiosumque systema, S. Scripturæ impugnatores, sive veteres, sive recentiores, inter quos Voltairius, pertinaciter tenent hujusmodi jura civilia esse injusta et Reipublicæ neque utilitatem, neque felicitatem inferentia.

Contra hos nihilominus, more solito, nos sic propositionem statuimus :

CIVILIA HEBRÆIS JURA DATA SUNT JUSTISSIMA ET AD REIPUBLICÆ UTILITATEM FELICITATEMQUE SAPIENTISSIME DIRECTA.

Quam thesim facile est probare ex hoc unico argumento :

Civilia Hebræis jura data sunt justissima et ad Reipublicæ utilitatem felicitatemque sapientissime directa, si servent rectum ordinem : 1° Principum ad

subditos, 2° subditorum ad invicem, 3° propinquorum ad propinquos, dominorumque ad servos, et 4° eorum qui sunt de populo ad extraneos.

Atqui jura civilia Hebræis data hos quatuor ordines perfecte servant : ergo sunt justissima et sapientissime directa ad utilitatem felicitatemque Hebraicæ Reipublicæ.

16. Probo minorem in suis partibus; sed ut facilius et clarius gradum facere possimus, juverit aliquod generatim præmittere de Constitutione politica populo Hebraico a Moyse designata.

Itaque ut societas quæcumque, ut natio quælibet vera societas, vera natio nuncupari possit, necessarium est 1° ut habeat caput ad quod omnia membra relationem teneant; 2° ut hujusmodi caput varios constituat officialium ordines, sive religiosos, sive civiles, sive militares, qui insimul cum capite ad bonum societatis, vel nationis attendant; 3° ut in capite sit facultas leges necessarias et opportunas constituendi, quæ tamen constitutæ secumferant in personis et rebus proportionatum ordinem, quem directe inducant inter Principem et subditos, et e converso inter subditos et subditos, sive inter se, sive inter familias, sive inter civitates, sive denique in relatione ad extraneos; 4° demum ut finis sit communis ad quem omnes de societate tendere possint, et sic deinceps.

17. Jam vero hæc omnia et plurima alia habes in Mosaica Constitutione quoad Hebraicas gentes.

Habes sane Caput, Deum ipsum, quem populus Hebraicus unanimi voce elegit; habes Regale Palatium in Tabernaculo, ex quo leges sive religiosæ, sive civiles, sive militares emanant.

Levi filii sunt ejus officiales ; una et conjuncta est auctoritas religiosa atque civilis.

Unus Jehovah, Deum repræsentans, omnia regit, cui omnes obediunt status sive senatorius, sive militaris. In unaquaque tribu Princeps præpositus adest, in unaquaque familia patris auctoritas effulget. Hinc militum ordines ad quietem internam externamque tuendam, hinc justitia suis in actibus præcise deducta, hinc pax universalis ; inde nationis tranquillitas.

Ergo Constitutio politica a Moyse suis in libris populo Hebraico designata, erat summe sapiens et vera.

18. Quibus præmissis, veniamus nunc ac primam partem nostræ propositionis, nempe

JURA CIVILIA SEU POLITICA HEBRÆIS DATA SERVANT RECTUM ORDINEM PRINCIPUM AD SUBDITOS.

Et sane circa bonam institutionem et ordinationem Principum ad subditos duo sunt, juxta D. Thomam, attendenda : unum ut omnes aliquam partem habeant in principatu, aliud est quod attenditur secundum speciem regiminis, vel ordinationis principatus sive monarchici, sive aristocratici, sive democratici. »

19. Jam vero Moyses et ejus successores gubernabant populum quasi singulariter omnibus principantes, quod est quædam species Regni. Eligebantur autem septuaginta duo seniores secundum virtutem. Deut., 1 : « Tuli de vestris tribus viros sapientes et nobiles, et constitui eos Principes. » Qui tamen eligebantur ex omni populo. Exod., 18 : « Provide de omni plebe viros sapientes. » Deuteron., 1 : « Date ex vobis viros sapientes. »

Ergo in Constitutione politica Mosaica omnes aliquam partem habebant in principatu et secundum speciem regiminis vel ordinationis.

Ergo Moyses servat rectum ordinem Principum ad subditos.

20. Nunc ad secundam partem, nempe leges Moysis servant rectum ordinem subditorum ad invicem.

Quod luculenter patebit, cum nos breviter recensuerimus leges emanatas, quæ tuentur in omni sua relatione personas, tuentur et res proprietatesque.

21. Et re quidem vera, ut Moyses posset vitam hominis incolumen reddere, necessarium erat ut in tuto illum poneret ab aggressoribus, proindeque leges diceret circa homicidium.

Et leges reapse in homicidium dixit; antea tamen occisorem describit vexatum angustiis, cruciatibusque dilaniatum, uti Caïn.

Hinc leges aperte statuit.

Loquens porro de homicidio præmeditato, hoc edicit expresse: « Qui percusserit hominem, volens occidere, morte moriatur » (Exod., 21, 14; Levit., c. 24, v. 17; Numer., 37, 17).

22. Quid de homicidio involuntario?

Mos datus erat illis in locis, ut propinquissimus inter cognatos decedentis posset sua vi atque facultate mortem ejus sanguine vindicare. Sed hoc nimis facile adducebat ad abusum; ideoque Moyses, cum illico nequiret hanc e medio auferre methodum, nonnullas selegit civitates, quæ homicidæ asylum constituerent. Interim jus erat succumbentis propinquis petere judices, qui causam cognoscerent, et data sententia, si

reus, damnabatur; sin innocens, incolumis evadebat occisor.

Et ne obvius esset (ante judicium) vindicatori, commorari debebat in asylo, donec summus sacerdos diem subisset suum (Deuter., 19, 2, 3, 4) : « Tres civitates separabis tibi in medio terræ, ut habeat e vicino qui propter homicidium profugus est, quo possit fugere : hæc erit lex homicidæ fugientis, cujus vita servanda est. »

23. Quid de homicidii auctore, si fuisset ignotus?

Tunc egressi majores natu et judices, metiri debebant a loco cadaveris singularum per circuituum spatia civitatum, et seniores civitatis vicinioris tollere vitulam de armento eamque Deo immolare, insimul clamantes se sanguine non esse reos Deumque precantes, ut ignosceret homicidæ, ne reputaret sanguinem innocentis in medio populi Israel, et auferret ab his hoc peccatum. Et sic facta erat sceleris expiatio (Deuteronom., 21, v. 1 et seqq.).

24. Habes insuper leges contra eos, qui personis damna afferunt, quamvis non occidant (Exod., 21, 22).

Item et leges, quæ vitam filiorum mulierumque tuentur; ita tamen, ut jus patrum in filios, virorum in uxores ordinatum sit (Deuter., 21, 18).

Item contra hos habes leges, qui vim et injurias inferunt (Exod., 21).

Contra illos denique, qui abortum sollicitant (Exod., 21). Et sic de aliis plurimis.

Ergo Moysis leges peroptime tuentur personas omni sub respectu.

25. Tuentur et proprietates.

Statuunt porro unicuique suum esse custodiendum, cuicumque rerum suarum possessionem dominiumque defendendum.

Hinc prohibitum erat furtum terminorumque remotiones (Deuter., 19, 14; Exod., 22, 1 et 2).

Hinc imposita erat rerum deperditarum restitutio (Exod., 22, 9).

Hinc puniebatur abigeatus (Exod., 22, 1).

Et ita loqueris de aliis innumeris.

Ergo Moysis lege vere res proprietatesque defendebant.

26. Sed dices, omnia hæc in contradictionem esse cum anno Jubilæi. In eo enim prædia majorum, divendita aut alianata, ad antiquos hæredes post quinquaginta annos, sine compensatione redire debebant: quod quidem est injustum.

Nihilominus, si lex hujusmodi interius consideretur, summe sapiens renuntianda est.

Duo sane erant motiva, quibus Moyses ad hoc edicendum venit: 1° ut æquabile semper esset in proprietate æquilibrium æquabilesque divitiæ; 2° ut ex hoc exsurgeret continuata populi pax et tranquillitas.

Quæ duo optima videntur et populo Hebraico adamussim explicata.

Neque demum tale præceptum injustum evincitur: secus enim iniquum dici nunc oporteret contractus emphyteusis. Annus quidem Jubilæi instar emphyteusis erat; et qui acquirebat sciens onere restitutionis post quinquaginta annos acquiri, tantum nummis solvebat, quantum par erat fructibus. Ergo lex Mosaica tuebatur proprietates.

Atqui lex, quæ tuetur personas suis in relationibus et proprietates, servat rectum ordinem inter subditos et subditos : ergo.

27. Ad tertiam.

Lex Moysis servat rectum ordinem propinquorum ad propinquos, dominorum ad servos.

Et re quidem vera Moyses instituit juris ordine leges, quæ matrimonium sive interius, sive exterius afficiunt; aufert parentibus filiorum jus vitæ et necis, edicit atque determinat præterea debita patris in filios et filiorum erga patres (Deuter., 4, 9; 6, 7; 11, 19; 22, v. 46).

Patris quidem erat edocere filios illosque regere ac tantum vendere, cum verteret in ingentem inopiam; filiorum denique patrum hæreditates excipere easque ex ordine inter eos dividere.

28. Quoad denique dominos et servos, Moyses ex radicibus servitutem non avulsit : hoc utique accidit, ut uno ictu orbis terrarum antiqua consuetudo abrogari non posset, sed non dubitavit leges pro servis inducere mitiores; dominis porro abstulit jus vitæ et necis (Exod., 21, 22; 16, 27), servis diem Sabbati indulsit, dominis minitatus est servorum dimissionem, quoties injuriis eos afficerent. « Si percusserit quispiam oculum servi sui aut ancillæ et luscos eos fecerit, dimittat eos liberos pro oculo quem eruit » (Exod., 21, 26 et 27). Ergo lex Mosaïca servat rectum ordinem inter propinquos et propinquos, inter dominos et servos.

29. Ad quartam et ultimam.

Moyses servat rectum ordinem inter eos qui sunt de civitate et extraneos.

Reapse beneficia in pauperes et auxilium commendat (Levit., 25, 35). Edicit honorari eorum viduas eisque subveniri (Exod., 22, 21 ; 22, 24).

Quod si depulsi essent ab aliis regionibus, inter populum Hebraicum excipere tenerentur (Judith, 14, v. 1).

Jubet coli senes, quicumque ipsi sint.

30. Juste dirigit milites Hebraicos in bellis, illisque indicit moderationem misericordiamque erga belli captivos (Deuter., 20, 10). Ergo Mosaica præcepta servant rectum ordinem inter cives et extraneos.

31. Atqui jura civilia, quæ servant rectum ordinem 1° Principum ad subditos, 2° subditorum ad invicem, 3° propinquorum ad propinquos, dominorumque ad servos, 4° civium ad extraneos, sunt justissima et ad Reipublicæ utilitatem felicitatemque sapientissime directa.

Ergo civilia Hebræis jura a Moyse data sunt justissima et ad Reipublicæ utilitatem felicitatemque sapientissime directa. Quod erat demonstrandum.

32. Et sic satisfecimus etiam huic dissertationi ; locuti sumus profecto de juribus Hebræis datis sive moralibus, sive cæremonialibus, sive denique civilibus : quæ omnia pertractare proposuimus.

Insimulque concludimus theses, quas ex S. Scriptura selegimus, proindeque gradum ad Historiam Ecclesiasticam illico faciamus.

EX HISTORIA ECCLESIASTICA.

I

QUÆ DE CATHOLICÆ RELIGIONIS MARTYRIBUS CERTO EX HISTORIA CONSTANT MANIFESTISSIME EVINCUNT NON POSSE OMNINO PSEUDO-MARTYRES, QUOS INCREDULI JACTANT, CUM ILLIS COMPARARI.

THESIS 25ª.

1. Inter fontes ex quibus unusquisque veræ doctrinæ Theologus sua haurire debet argumenta ad explanandas confirmandasque veritates, non ultimus neque inutilis ille est, qui ex historia originem ducit. Historia enim est magistra veritatis, ac generatim accepta, est narratio factorum evenientium in ordine ad res temporales; proindeque ea tantum ad illam pertinent, quæ vel sunt gravioris momenti, vel promittunt morale interesse.

Sed hujusmodi facta non aliud præcipuum in se continent, vel respiciunt objectum, nisi hominem, qui considerari potest relate ad Deum insimulque ad bonum naturale, spirituale et æternum, vel relate ad societatem sive ecclesiasticam, sive civilem insimulque ad bonum temporale; vel denique in se relate insimul ad bonum æternum et temporale. Atqui historia omnibus iis in statibus hominem prosequitur: unde totidem historiæ gradus et status.

Hinc historia naturalis et civilis, hinc historia sacra et ecclesiastica.

Nos hic tantum de ecclesiastica verbum habebimus, quæ objective considerata est evolutio successiva regni Dei Optimi Maximi in tempore et progressus continuus in via scientiæ et vitæ reparatæ humanitatis, quæ conjungitur Deo propter Jesum Christum in Spiritu Sancto.

Technice autem est hujus evolutionis realis vivensque manifestatio propter sermonem.

Qui tamen progressus continuus, quæque realis hujus progressus manifestatio in Ecclesia esse potest vel universalis, vel particularis.

Hinc Historia Ecclesiastica est aut universalis, aut particularis.

2. Quibus positis, statim monere lectores juverit, nos hic non posse loqui de Historia Ecclesiastica particulari; et hoc planum est.

Sed disserentes de Historia Ecclesiæ universali, quid in medium proferre possumus? Nil aliud secundum nostrum propositum, nisi duo tantum themata, quæ nihilominus sunt id Ecclesia, hodie præsertim, maxime necessaria et clare tractanda.

3. In primo igitur dicemus de Martyribus Catholicis, relatione habita ad pseudo-martyres, quos jactant huc illuc increduli; in 2° de Concilii Tridentini Æcumenicitate deque libertate, quam Patres in eo latissime experti sunt. Id vero duabus respectivis dissertationibus.

Sit igitur prima quæstio de Martyribus, et sic constituitur

PROPOSITIO :

QUÆ DE CATHOLICÆ RELIGIONIS MARTYRIBUS EX HISTORIA CERTO CONSTANT MANIFESTISSIME EVINCUNT NON POSSE OMNINO PSEUDO-MARTYRES, QUOS INCREDULI JACTANT, CUM ILLIS COMPARARI.

4. Quam propositionem luculenter probatam concludemus, cum sequentibus quæstionibus veram, quamvis compendiosam, resolutionem dederimus :

1° Quid veniat sub nomine Martyrii?

2° Utrum martyrium fundamentum teneat in Scripturis?

3° Quænam sint causæ, quæ faciunt verum martyrem, tum relate ad personam tyranni, tum relate ad personam patientis?

4° Quinam in themate erraverint, et cujus generis sint errores?

5. Quibus omnibus clare constitutis, comparationem faciemus inter martyres Ecclesiæ Catholicæ et pseudo-martyres ab initio Ecclesiæ usque ad nos.

6. Ad primam.

Quid veniat sub nomine Martyrii?

Martyrium, nempe testimonium, est mortis perpes-

sio, sive tolerantia propter fidem Christi, vel alium virtutis actum in Deum relatum.

Martyres proinde illi dicuntur, qui martyrium patiuntur causa testificandi Evangelicas veritates.

Sunt vel designati, vel coronati.

Dicuntur designati, cum sententia tyranni jam lata est, attamen nondum executioni mandata.

Sunt coronati, cum vel inter tormenta e vita decedunt, vel in posterum vi recepti cruciatus mortem patiuntur.

Ait in re S. August., lib. 22 de Civit. Dei, cap. 9 : « Quia et ipsi martyres, id est hujus fidei testes fuerunt, huic fidei testimonium perhibentes..... pro ista fide mortui sunt. »

7. Ad secundam.

Utrum martyrium fundamentum teneat in Scripturis?

Et absque ulla hæsitatione affirmativam dicimus sententiam. Expresse sane promittitur in Sacris Litteris æterna salus hoc ipso, quod quis vitam suam ponat propter Christum; quod certe facit, qui mortem sustinet præcise pro defensione fidei, vel alterius virtutis Christianæ.

Ait porro Matth., 10, 32 : « Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego coram Patre meo, qui in cœlis est. »

« Qui autem negaverit me..... negabo et eum » (Marc., 8, 38; Luc., 9, 26). Apostolus Paulus, 2 Timoth., 2, 12 : « Si sustinebimus, et conregnabimus; si negaverimus, et ille negabit nos. »

Et B. Petrus ait : « Patitur etiam propter Christum

non solum qui patitur propter Christi fidem, sed etiam qui patitur pro quocumque justitiæ opere pro amore Christi. »

Ergo martyrium fundamentum aperte habet in verbo Dei revelato.

8. Ad tertiam.

Quænam sint causæ, quæ faciunt verum martyrem, tum relate ad personam tyranni, tum relate ad personam patientis?

Causa martyrii, nobis generatim in primis loquentibus, est illa per quam verum testimonium fidei exhibetur, id est verum martyrium.

Atqui ait S. Augustinus, in Serm. 223, tom. 5, in append. : « In hujus glorioso agone duo nobis præcipua consideranda sunt :..... sævitia tortoris, ut eam detestemur; patientia martyris, ut eam imitemur. »

Ergo martyrium concipi nequit sine duabus personis, tortoris scilicet et martyris, qui causis ducti, patrant martyrium.

« Martyrem enim, exclamat S. Augustinus, non facit pœna, sed causa. »

9. Quæ nimirum duplex est relate ad tyrannum :

1° Ut reipsa mortem naturalem inferat, aut saltem ponat rationem necessariam mortis;

2° Ut hoc faciat ex odio fidei, vel in aliquam rem, quæ ad fidem spectet.

Sic in re profecto loquitur Benedictus Pereira, in Elucid. S. Theolog. Moralis et juris utriusque, lib. 2, Eluc. 23, sect. 1, num. 1464, in fin.; sic et Cardinalis De Laura, Gobat, Suarez, Lessius.

10. Causæ vero quæ respiciunt martyrem ad hanc

unicam S. Aug. regulam reducuntur; ad fidem scilicet credendorum, vel agendorum.

Ait S. Doctor revera, lib. 2 contra Epistol. Gaudentii, c. 20, ubi redarguit Donatistas, qui sodales et hæresis socios, qui patienter moriebantur martyres et beatos prædicabant : « Recte ista diceretur a vobis quærentibus gloria, si haberetis martyrii causam. Non enim felices, ait Dominus, qui mala ista patiuntur, sed qui propter Filium hominis patiuntur, qui est Christus Jesus. »

Et in Psal. 34, v. 13 : « Nemo ergo dicat persecutionem patior. Non ventilet pœnam, sed probet causam; nam si causa non probatur, numeretur cum iniquis. »

Hinc 1° martyris nomen non meretur, qui moritur pro aliqua veritate sibi uni revelata (Hurtedus, in Resolut. de vero Martyrio, resp. 25, § 4, pag. 60).

Hinc 2° martyr non est, qui diem subit pro opinione aut sententia nondum ab Ecclesia definita.

Hinc 3° martyr denique non est, qui vitam amittit ex ratione philosophici dumtaxat boni (Victor Vitensis, lib. 5 Persecution. Vandal.).

11. Nihilominus, dum pro parvulis sufficit ut in odium Christi occisi sint (S. Thomas, 2, 2, qu. 124, art. 1); pro adultis vero præter hoc requiruntur et dispositiones ante martyrium; nimirum si sint catechumeni, dummodo possint, præcipitur ut baptizentur; ut spatia quinque mentium omnes spiritualibus exercitiis S. Ignatii sint exculti; ut confessionem emittant, communionemque sacramentaliter recipiant.

12. Laudabiliter martyrium insuper desideratur, juxta illud 1 Timoth., 3, 1 : « Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. » Quod opus bonum interpretatur a S. Gregorio pro martyrii tormentis, cum patiens ad illa ferenda traducitur.

13. Sed hic quæri solet : Utrum necessaria sit acceptatio ex parte martyris?

Et jure Theologi negativam dicunt responsionem; ex eo quod si quis vel somno quiescit, vel freneticus exstat, et tamen per odium fidei morte morietur, martyr evadit.

14. Quæritur : Utrum necessaria, vel vetita sit oblatio spontanea tyranno?

Et quamvis antiquitus spontanea oblatio vetita erat, nihilominus dantur in Historia Ecclesiastica exempla aliquorum, qui etiam nunc veluti martyres coluntur, et tamen se ultra obtulerunt tyrannis.

Ita profecto scribit Tertullianus ad Scapul., cap. 1, pag. 129 : « Cum omni sævitia vestro convertamus, etiam ultro erumpentes, magisque damnati quam absoluti gaudemus. »

15. Sed quid dicendum de fuga?

Hujusmodi quæstio solet plerumque agitari, et hinc inde solent ferri sententiæ, ita ut Tertullianus non dubitaverit asserere tempore persecutionis vetitam esse fugam. Sed nos cum Ecclesia contrariam probamus doctrinam, et cum Apostol. Matth., 10, 23, docemus : « Cum autem vos persequentur in civitate ista, fugite in aliam. »

16. Quibus positis, inutile est animadvertere necessariam esse in martyre constantiam, patientiam ac

voluntatem pro fide moriendi usque ad obitum, nec non in ipso obitu, juxta illud S. Litterarum : « Non qui incœperit, sed qui perseveraverit usque in finem, salvus erit. »

Et ex hac ratione S. Montanus, qui mortuus est sæculo III, usque ad mortem aiebat non licere simulacra Deorum accedere. »

Sic habes et in actis SS. Faustini et Januarii, aliorumque plurimorum.

17. Ad quartam.

Quinam in themate erraverint, et cujusnam generis sint errores?

Antequam errantes et errores in medium proferamus, animadvertendum est quod hæretici sectatores ita inveniuntur in curriculo discussionis, ut sibi implicent continuam contradictionem; et quod jam antea pro virili parte asseruerint, nunc pro viribus negant.

Gnostici revera non modo contempserunt martyrium, sed etiam damnarunt. Sed hos sic peroptime refellit Clemens Alex., lib. 4 Stromatum, loquens de martyribus Christianis : « ..... Sed propter suam in Dominum dilectionem lubentissime ab hac vita liberarunt. Jam consummationem vocamus martyrium : non quod vitæ finem homo acceperit, ut cæteri, sed quod perfectum opus ostenderit charitatis. »

Et jure; nam sordes baptismate abluuntur, maculæ vero martyrio candidantur.

Hinc Tertullianus, Scorpion., 5, c. 6 : « Martyribus etiam, inquit, proprie nihil jam reputari potest, quibus in lavacro vita ipsa reponitur; sic dilectio operit

multitudinem delictorum, quæ Deum scilicet diligens et totis viribus suis, quibus in martyrio decertat ex tota anima sua, quam pro Deo ponit, hominem martyrem excudit. »

Ex quo profluit regnum Dei, certa salus, secunda regeneratio.

Et nunc veniant Gnostici, et asserant pro martyribus esse sine causa mori.

18. His argumentis aliisque plurimis pressis Gnosticis, prosequitur aliud sectatorum ignarum vulgus, et mutata voce, martyrium recognoscunt; quinimo gloriantur de multitudine martyrum suorum, et non erubescunt illos cum martyribus catholicis comparare.

Ita et Marcionitæ, ita et Novatiani, ita et Ariani, itaet Donatistæ, ita et Pr iscillianistæ aliique.

19. Sed de horum martyribus sic eleganter loquitur Cardinalis Baronius, in Præfat. ad Martyrolog., c. 10: « Habent vespæ sicut et apes favos suos : quæ et si in cellularum constructione illas omnino imitare videntur, tamen non sicut illæ in unam eamdemque domum conveniunt; carent enim alveario, quia nesciunt unitatem, nec insuper mel, quod illuc inferant, habent; ac licet favum summo labore confecerint, cellulas cellulis intexendo, tamen inanis, aridus ac melle vacuus semper esse conspicuus. »

20. Sed his generatim prænotatis, nostrum hic erit rationes sectatorum (quibus probare conantur veros se habere martyres multitudine indefinitos) exponere, ponderare ac rejicere. Hinc martyrum catholicorum rationes exhibere, indeque comparationem instituere,

historia duce, inter unos et alteros; denique concludere utrum pseudo-martyres, quos increduli jactant, cum catholicæ Religionis martyribus possint comparari.

21. Tria extrema, aiunt increduli, verificari debent ad verum martyrium constituendum : 1° si pro una eademque re ingens hominum multitudo e vita decedat; 2° si adsint in obitu signa heroicæ fortitudinis, constantiæ ac pietatis; 3° si inter illos, qui mortem generose subeunt, inveniantur ex omni ætate et sexu patientes.

22. Examen in his tribus breviter instituentes, sic procedimus.

Principio itaque dum libenter admittimus fuisse nonnullos inter hæreticos, qui mortem intrepide subierint, omnino negamus multitudinem; numerus enim eorum, uti ex historia constat, facile reducitur ad paucos.

De morte Hieronymi de Praga, intrepide tolerata, narratur a Poggio Florentino, in Epist. ad Leonardum Aretinum, tom. 2 Hist. Joan. Hus., p. 533. De morte Annæ de Bourg dicitur a Thuano, in Hist., libr. 23, n. 11, ad ann. 1559.

Item de Anabaptistis, item de Priscilliano, item de Novatiano aliisque paucis.

23. Sed comparatione facta inter hos et martyres catholicos, habetur ex una parte indefinitus numerus, ex altera misera proportio. De hæreticis sane refertur ille, vel alter; de catholicis multitudo indefinita designatur.

Sic in actis sinceris SS. Alexandri et Epipodii, apud

Ruinart, ubi mentio fit Sanctorum martyrum Lugdunensium, dicitur, n. 2, pag. 63 : « Plurimi, distinctis passionibus atque nominibus, ad succedentium memorias pervenerunt : innumeros vero qui, vel indiscreta cæde concisi sunt, vel vincti in ergastulis, inscriptos cœlestis vitæ liber tantum continet. »

Prudentius, in hymno de Martyrio S. Hippolyti, præsbyteri Romani, sic cecinit de martyribus, qui Romæ cæsi sunt :

> Innumeros cineres Sanctorum Romula in urbe
> Vidimus, o Christi Valeriane sacer.

Eusebius, Cæsariensis Episcopus, in descriptione persecutionis Diocletiani, ait Antymo adjunctam esse ingentem martyrum multitudinem.

Et ne nimius sim, si consideras fideles ab initio Ecclesiæ usque ad nos, sive in Catacumbis, sive in persecutionibus, sive in missionibus, concludes talem martyrum multitudinem esse, quæ quidem dinumerari non possit.

Et quanam ratione?

Quia, ait Justinus, in Dialogo cum Tryphone : « Martyres sunt veluti vitis : si quis partes illas amputet, quæ fructus ferunt, ita proficit, ut alios florentes et fructiferos palmites rursus proferat. »

24. Veniant nunc sectatores, et idem dicant de eorum martyribus.

Veniant increduli, et comparatione facta cum catholicis, jactent martyrum suorum multitudinem.

Sed faveant mentem ponere huic animadversioni : ipsi, ut multitudinem efficiant, colligunt martyres suos ex omnibus sectis.

Quibus positis, quæro : 1° Utrum ex dissitis sectis constitui possit una et conjuncta martyrum multitudo?

Quod si affirmative reponant, quæro : 2° Utrum ex dissitis sectis, plerumque inter se contradictoriis, possit dari multitudo martyrum, qui pro una eademque re mortui sint?

Reponant increduli his duobus quæsitis, ac deinde jactent primum martyrii signum, ab iis positum.

25. Quoad secundum martyrii signum, ultro concedimus quosdam ex hæreticis ostendisse fortitudinem atque constantiam in morte subeunda.

Sed quænam fuit fortitudo? quænam constantia? Illa certe cujus hæreticus capax est.

Natalis Alexander revera, loquens de morte magistri Templariorum et de ejus constantia in perferendo supplicio, ait : « Exstant enim et vetera et recentia exempla hæreticorum..... qui mortem intrepidi aspexerunt : nec miror; aliquando; visa est externa specie fortitudo in martyribus diaboli, quam in martyribus Christi, ut Circumcellionum, Priscilliani, Joannis Hus et Hieronymi Pragensis. »

Negamus tamen hæreticos in martyrio habuisse pietatem proprie dictam; quia pietas fundamentum tenet in vera evangelica charitate, ejusque hæretici sunt expertes.

De catholicis contra, ait S. Aug. : « Includebantur, cædebantur, torquebantur, urebantur, laniabantur et multiplicabantur. » « Spectatæ sunt, inquit Lactantius, libr. 6, cap. 17, semper spectanturque adhuc pœnæ cultorum Dei, in quibus excruciandis nova et inusitata tormenta excogitata sunt..... tamen cum fortitudine et patientia..... crudelitas vincitur. »

In re denique fidem faciunt ipsi tyranni ipsique carnifices, qui semper christianorum catholicorum martyrum fortitudinem admirati sunt, et sæpe sæpius eorum constantia sunt exterrefacti.

26. Circa demum tertium martyrii signum, si inter hæreticos unus, vel alter ex omni sexu et ætate vitam dedisse in eadem re difficillime invenitur; inter catholicos innumera refertur multitudo.

Sulpicius Severus, libr. 2 Hist. Eccl., c. 32, n. 4, ita scribit : « Diocletiano et Maximiano imperantibus, acerbissima persecutio exorta, quæ per decem continuos annos plebem Dei depopulata est : qua tempestate omnis fere sacro martyrum cruore orbis infectus est. » Et hinc vides martyres cujusque generis, sexus et ætatis sanguine suo orbem infecisse.

Quod et plane etiam perlegere potes in Menæis Græcorum, in Martyrologio Romano et apud Bollandistas.

Ergo etiam in hoc tertio signo incomparabiles sunt pseudo-martyres cum catholicæ Religionis martyribus.

27. Sed his hactenus consideratis, concedamus parumper quod illa tria indicia usque adhuc relata verificentur adamussim in hæreticorum martyribus; dicendine sunt nihilominus ex hoc veri martyres?

28. Et puto, quinimo præcise assero ac probo veros martyres dicendos non esse.

Nam hujusmodi signa, etiamsi ad verum constituendum martyrium prosint, tamen non sufficiunt.

Ait enim Sanctus Augustinus : « Non pœna facit martyrem, sed causa. » Et causa in sensu superius ex-

posita. Non desunt porro latrones et homicidæ, qui, licet pro suis criminibus damnati, impavide tormenta et mortem sustinuerint eo modo, quo etiam nostris temporibus sectatores intrepide tormenta et mortem patiuntur.

29. Neminem præterit martyrium esse donum Dei, et non dari extra unitatem et charitatem Ecclesiæ.

Christus sane aperte loquitur apud Luc., 11, 23 : « Qui non est mecum, contra me est; et qui non colligit mecum, disperdit. »

Hinc S. Pacianus, Episc. Barcinonensis, qui Epistolas scripsit adversus Novatianos, Epist. 2 ad Sempronianum, hæc habet : « Porro etsi passus est aliquid Novatianus..... etiamsi occisus est, non tamen coronatus. Quidni ? Extrà Ecclesiæ pacem, extra concordiam, extra eam matrem cujus portio debet esse, qui martyr est. »

30. Et merito ita loquitur S. Pacianus ; nam optime inquit S. Cyprian., in Epist. 54 ad Cornelium Papam : « Idoneus esse non potest ad martyrium, qui ab Ecclesia non armatur ad prælium. »

31. Et hæretici omnes sunt extra pacem et concordiam; non armantur ab Ecclesia ad prælium. Ergo etiamsi per factam hypothesim mortem ipsi subierint fortitudine, constantia ac pietate præditi, multitudine plures, pro eadem re luctantes cujuslibet generis, ætatis et sexus, nihilominus martyres vere dici nequeunt; quia non habent causam martyrii, quia non fruuntur dono martyrii.

32. Ergo quæ de catholicæ Religionis martyribus certo ex historia constant manifestissime evincunt non posse omnino pseudo-martyres, quos increduli jactant, cum illis comparari. Quod erat demonstrandum.

EX HISTORIA ECCLESIASTICA.



II

CONCILIUM TRIDENTINUM LEGITIMUM AC VERE OECUMENICUM FUIT; NEQUE AUDIENDI SUNT QUI, AD ILLIUS ROBUR INFIRMANDUM, DEBITAM EPISCOPIS LIBERTATEM DEFUISSE COMMINISCUNTUR.



THESIS 26ª.



1. Gradum facientes ad secundam propositionem (ex historia ecclesiastica desumptam) demonstrandam, quo facilius et clarius exponi, explicari confirmarique possit, operæ pretium erit in primis generatim de Conciliis nonnulla præmittere et in paucis sequentes absolvere quæstiones.

2. 1° Quid sit Concilium et quotuplex?

2° In quonam Concilia versantur?

3° Quam vim habeant Conciliorum decreta?

4° Quænam extrema verificari debeant, ut possint inducere obligationem in Ecclesia universali?

3. Ad primam.

Concilium, græce Synodus, est catholicorum Antistitum Conventus, a legitimo superiore convocatorum, ad Religionis negotia pertractanda atque definienda.

Et ex qua descriptione jam patet nos hic agere de rebus sacris.

Concilium est quadruplex :

1° Diœcesanum, quando ab Episcopo in propria diœcesi celebratur, convocatis suæ jurisdictionis viris, quibus ipse præest.

2° Provinciale, cum a Metropolita, vel Episcopo antiquissimo celebratur, convocatis nimirum Episcopis unius provinciæ, quibus Metropolita, vel Episcopus antiquissimus præest.

3° Nationale, ad quod convocantur Archiepiscopi et Episcopi unius regni, vel Patriarchatus, præside ejusdem nationis Primate, vel Patriarcha (Benedict. XIV, de Synod Diœces., libr. 1, cap. 1, § 2).

4° Denique Generale, id est Œcumenicum, ad quod convocantur universi orbis catholici Episcopi ad deliberandum, eodem Pontifice præsidente, de universalis Ecclesiæ negotiis.

Nos hic tantum aliquid exponemus de Conciliis Œcumenicis, proindeque alias in re propositas quæstiones hoc in sensu resolvemus.

4. Ad secundam.

Conciliorum Generalium tria sunt : dogma catholicum definire, mores exponere atque regere, ecclesiasticam disciplinam constituere.

5. Ad tertiam.

Concilii Generalis decreta fidei et morum, a Summo Pontifice approbata, divinam obtinent auctoritatem, et sunt irreformabilia.

Quæ vero respiciunt disciplinam sanctam quoque tenent auctoritatem; nihilominus, uti ratio temporum postulat, a suprema Pontificis auctoritate, vel a Concilio Œcuménico, cum Pontifice, possunt immutari.

Unde S. August. hic dicit : « Concilia plenaria priora posterioribus immutari. »

6. Ad quartam.

Extrema demum, quæ verificari debent, ut Conciliorum Generalium decreta obligationem inducant in Ecclesia universali, tria sunt :

1° Ut Concilium Generale indictum sit consensu et auctoritate R. Pontificis (can. 1 et seqq., dist. 17, PP. Concilii Constantinop. I, in Epist. Synod. ad Damasum), qui per seipsum, vel per Legatos suos Concilio præesse debet.

2° Ut omnes convocati sint Episcopi ex orbe catholico : tamen nihil refert, ut omnes non intersint (Melch. Canus, de Loc. Theolog., libr. 5, cap. 3).

3° Denique ut acta Concilii sint a Summo Pontifice confirmata.

Quæ tria semper sunt adamussim verificata omnibus in Conciliis Œcumenicis usque adhuc celebratis, uti ex historia ecclesiastica constat.

7. Quibus breviter expositis, venimus pressius ad nostram thesim.

Et 1° quærimus :

Utrum Concilium Tridentinum legitimum ac vere Œcumenicum fuerit?

8. Sine formidine errandi affirmativam damus responsionem, quam in primis generatim probare ex historia conamur, deinde speciatim absolvemus.

9. Hydra protestantica non in septem capitibus, sed in septies centenis millibus totum peragrabatur orbem totamque veneno inficiebat terram; hinc a multis annis necessitas Concilia requirebat, ut aliquo in modo Ecclesiæ plagæ auferri possent.

Sed Pontifices perplexitate hærebant, commemorantes iniquas Basileæ insinuationes. Insuper accedebant extrinseca obstacula; bellum scilicet inter Carolum V et Franciscum I, cum feliciter regnaret Clemens VII.

10. Paulus III (ann. 1534-1549) consilium inivit convocandi Synodum Generalem, eamque revera cum Bulla Initio Pontificatus Nostri, edita 22 maii 1542, Mantuam congregavit. Hinc Vicentiam translata fuit. A Legatis Pontificiis ad civitatem Tridentinam denique deducta: ubi habitis octo sessionibus, propter pestem Patres Bononiam petiere, ibique duas tenuere sessiones.

11. Paulo III vita functo, Julius III, Bulla Cum ad tollenda, 1 decembris 1550, Concilium restauravit illudque iterum in Tridentinam urbem convocavit. Nil in Synodo actum est, Paulo IV et Marcello II in Petri Cathedra sedentibus. Pius IV (ann. 1559-65) Concilium rursus collegit Tridenti, sub delegata præsidentia Cardinalis Gonzagæ, quem multi comitati sunt Cardinales. Id fecit Bulla Ad Ecclesiæ regimen, 29 novembris 1560.

Demum hoc permaximum Concilium complemen-

tum habuit mense decembr. 1563, post 25 sessiones.

12. Pius idem IV, Bulla Benedictus Deus (6 jan. 1564) Concilii decreta confirmavit.

Et postea Sixtus V Congregationem instituit titulo Interpretes Concilii Tridentini, quæ usque adhuc in sua veritate, magnitudine ac per universum orbem dignitate existit.

13. Quibus positis, animadvertendum est:

1° Concilii Tridentini repræsentationem non minus fuisse totius nominis Christiani, quam priora illa Concilia, quæ ab omnibus Œcumenica habentur.

2° Ad illud totius orbis Episcopos fuisse convocatos, ex omni loco et natione ingentique numero existentes.

3° Rationem convocationis fuisse universalem. Universalis sane fuit assertio Catholicæ Fidei, et per consequens hæresum damnatio; generalis fuit morum reformatio, generalis denique disciplinæ reparatio.

4° Omnia in eo gesta esse secundum Scripturas, secundum Patrum traditiones et secundum ecclesiasticas regulas, quæ jam datæ et habitæ fuere in aliis Œcumenicis Conciliis.

14. His consideratis, veniant adversarii, et in primis dicant Concilium Œcumenicum vere non fuisse Tridentinum; 1° quia illi non interfuere Episcopi Græci et Ecclesiæ Orientalis; 2° quia non fuerunt vocati Protestantes.

Frustra ad hoc concinnandum tempus terunt; nam ipsi contradictores ne unum quidem in tota antiquitate exemplum afferre possunt, quod comprobet in Conciliis Œcumenicis eos esse vocatos, qui ab

Ecclesiæ Catholicæ communione sejuncti erant. Membra porro quæ a toto corpore sunt separata non ad hoc revocari possunt. Et id de Episcopis Orientalibus.

Protestantes vero, antequam hanc in medium proferant calumniam, saltem perlegant in sess. 13 et 15 non modo convocationem, sed etiam salvum conductum, illis datum :

« Sacrosancta œcumenica et Generalis Tridentina
« Synodus, in Spiritu S. legitime congregata, præsi-
« dentibus in ea eisdem S. Sedis Apostolicæ Legato
« et Nuntiis, omnibus et singulis, sive ecclesiasticis,
« sive sæcularibus personis universæ Germaniæ, cu-
« juscumque gradus, status, conditionis et qualitatis
« sint, quæ ad Œcumenicum hoc et Generale Conci-
« lium accedere voluerint, ut de his rebus quæ in ipsa
« Synodo tractari debent omni libertate conferre, pro-
« ponere et tractare, ac ad ipsum Œcumenicum Conci-
« lium libere et tuto venire, et in eo manere et com-
« morari ac articulos, quot illis videbitur, tam scripto
« quam verbo offerre, proponere, et cum Patribus,
« sive iis, qui ab ipsa S. Synodo delecti fuerint, con-
« ferre ; et absque ullis conviciis et contumeliis dis-
« putare, nec non, quando illis placuerit, recedere
« possint et valeant, publicam fidem et plenam se-
« curitatem, quam salvum conductum appellant.....
« concedit. »

Quibus perlectis, expectamus ab ipsis responsionem : Utrum ad Concilium Tridentinum fuerint, nec ne, convocati ?

15. Et quamvis se Concilio sistere recusaverint, quanta æquitate, diligentia ac doctrina eorum causam

fuisse judicatam, faveant haurire a Didaco Payva, Lusitano (in libr. 1 Defens. Trident. fidei), qui unus fuit ex cœtu Patrum Tridentinorum.

16. Objiciunt in eo numerum Episcoporum fuisse exiguum, præsertim sub Paulo III; qui insuper numerus ex Italis constabat, R. Pontifici addictis. Negantes nos in primis exiguum fuisse numerum Episcoporum, asserentesque quod data universali convocatione, nihil referat, si omnes physice non intersint Concilio Patres, dicimus perperam objici majorem Italorum numerum; siquidem non a majori numero fidei definitiones præcesserint, sed ab unanimi fere suffragiorum consensu. Et ita res acta fuit, ut nihil melius desiderari in themate possit.

17. Ergo male se gerunt Carolus Molinæus et Gentilètus, qui aiunt Synodum Tridentinam esse indictam præter morem antiquum, a solo scilicet R. Pontifice, qui eodem tempore contra jura tum divina, tum humana fuit judex et accusator; olim porro esse Concilia jussu Imperatorum indicta.

Nam si Carolus Molinæus et Gentiletus aliquam in re ostendere bonam fidem voluissent, certe debuissent absque ullo dubio confiteri Synodi Generalis convocationem ad solum R. Pontificem, veluti ad Ecclesiæ visibile caput spectare; et si ab Imperatoribus aliquoties videantur fuisse convocata Concilia, hoc factum esse ipsius S. Pontificis auctoritate.

Sin vero aliquis ex Imperatoribus hoc jus, vel aliquod aliud ecclesiasticum sibi assumpsit, id certe injuria fecit deditque locum illis redargutionibus, quas sæpe in historia ecclesiastica perlegimus.

Ita Osius Cordubensis ad Imperatorem Valentinianum; ita et voluit Gelasius Papa; ita et ipse Basilius Magnus; ita et Justinianus (Nov. 6).

18. Hanc prærogativam cognovit in R. Pontifice Concilium Romanum, ex Episcopis Italiæ et Galliæ sub Damaso R. Pontifice celebratum. R. Pontifices auctoritate propria Concilia Œcumenica Ephesinum, Chalcedonense, Constantinopolitanum, etc., convocarunt præfeceruntque; aliisque pariter in Synodis totius nominis Christiani convocatis, nemine reclamante, exercuerunt Pontifices auctoritatem expositam.

19. Sed ex eo, quid concludunt adversarii, nisi illud essentiale requisitum, quod constituit ad Synodum œcumenicam stabiliendam necessariam esse R. Pontificis convocationem?

Hinc quæro ab ipsis : Utrum hæc conclusio sit contra nostram thesim, vel potius contra propriam ipsorum doctrinam? Considerent rem et reponant.

20. R. vero Pontificem esse in Conciliis judicem et partem omnino negamus; nam inibi non agitur de causa R. Pontificis, sed de causa Religionis et Fidei, quarum ratione sui primatus est conservator et custos.

21. Ergo ex hactenus disputatis, luculenter deduces : Concilium Tridentinum 1° fuisse R. Pontificis auctoritate indictum; 2° omnes Orbis Catholici Episcopos ad illud fuisse convocatos; 3° acta Concilii fuisse a R. Pontifice confirmata.

Atqui hæc tria constituunt essentialia, ut Concilium dici possit legitimum ac vere œcumenicum : ergo Concilium Tridentinum fuit legitimum vereque œcumenicum.

22. Sed his pressis conclusionibus, neque devictas manus cedunt adversarii, et pro virili parte student veram in Ecclesia universa labefactare auctoritatem.

Id porro faciunt tribus argumentis :

Asserunt : 1° in eo defuisse libertatem suffragiorum ; 2° in rebus definiendis non recte fuisse perpensa judicia ; 3° non esse in Orbe Catholico ejus decreta recepta.

23. Sed nos, more solito, triplicem contra illos statuimus propositionem.

Et illico sit

1ª PROPOSITIO :

NON SUNT AUDIENDI, QUI AD ROBUR CONCILII TRIDENTINI INFIRMANDUM, DEBITAM EPISCOPIS LIBERTATEM DEFUISSE COMMINISCUNTUR.

24. Aiunt revera contradictores, inter quos non ultimi Suavis Polanus, ipsemet Molinæus atque Gentiletus, Synodum Tridentinam non fuisse liberam, et probant suam futilem assertionem.

Asserentes : 1° legatos Pontificis rerum proponendarum arbitrium ad se solos traxisse, semper sane legi : Proponentibus legatis.....

2° Illos proposuisse quod R. Pontifici placeret; et sic se gessisse, quanquam a Patribus, præsertim Hispanis, res reclamata fuisset.

Sed falso id asserunt miseri contradictores; et dum ex una parte calumniant, ex altera constituunt veritatem, quæ militat contra seipsos.

Propugnant reapse legatos R. Pontificis præfuisse

Concilio; et hæc est necessaria confessio ad nostram confirmandam thesim.

Calumniant ex altero latere, dum volunt ademptam Patrum libertatem, quod est omnino contra historiæ judicium.

In omnibus profecto sessionibus liberrime suam sententiam dixerunt de his etiam rebus, quæ legatos et Summum ipsum Pontificem spectabant.

Audiatur in re Didacus Payva, qui sedens clarissimus inter Patres, summa doctrina insimul cum his disputavit quæstiones, summaque integritate atque conscientia gesta Concilii apertissime refert.

Ait de libertate Pater: « Testari certe ipse possum, nihil fuisse a Patribus magis exoptatum, a « legatisve vigilantius procuratum, quam ut nihil in « eo non libere, non pacate atque legitime fieri cer-« tissimis argumentis constaret. »

25. Neque fucum facit illa phrasis: Proponentibus legatis; nam si semper legati Pontificis proponebant, quid inde? Sequitur solum illos usos fuisse ea auctoritate, quæ penes tantum R. Pontificem ejusque legatos residet; quam idem Pontifex ejusque legati adhibuere in Synodo Ephesina, in Chalcedonensi, in Constantinopolitana 3ª et 4ª, in Nicena 2ª, aliisque in innumeris Conciliis, recte habitis ab initio Ecclesiæ usque ad nos.

Et illa auctoritate non modo in prædictis Conciliis, sed etiam in Concilio Tridentino merito usa fuit. Certum est enim ex tota S. Synodus historia fuisse ad hoc solum usurpatam, ad evitandam scilicet confusionem, quæ certe maxima fuisset, si cuilibet ex Patribus

proponere licitum esset. Neque ex hoc dici potest adempta libertas; contrarium enim deducitur ex pluribus exemplis, huc illuc in historia Concilii relatis; ita ut ipsa S. Synodus, sess. 24, cap. ult., apertissime declaravit : « Mentis suæ non fuisse, ut ex prædictis verbis (Proponentibus legatis) solita ratio tractandi negotia in generalibus Conciliis ulla ex parte immutaretur.

26. Quæ libertas facile evincitur ex Epist. Cardinalis Farnesii ad legatos sub Paulo III data 25, maii 1546. Refert ille, cum legati Summo Pontifici indicassent quid statuendum esset, sess. 5, de Prælectionibus Concionibusque; idque Romanæ trutinæ fuisset commissum, et varii varia eadem, uti solet animadvertissent, ea omnia Pontificem cum legatis communicasse, hac addita declaratione, id agi non ut temperaret, sed admoneret, et quod complurium judicio perspecto, possent quid optimum esset statuere.

27. Idem concludit Epistola Cardinalis Borromæi, Pii IV nepotis, mandato ejusdem Pontificis ad Concilii legatos directa.

Fungebatur itaque suo officio S. Pontifex mittendo ad S. Synodum quæ tractari opus esse judicabat; plenam autem Patribus relinquebat in iis definiendis libertatem.

His usque adhuc disputatis, veniant nunc contradictores et querimonias emittant, ut probent Patribus Concilii Tridentini esse libertatem ademptam.

28. Nunc ad secundam.

2a PROPOSITIO :

UTRUM IN DEFINIENDIS REBUS FUERIT RECTUM PERPENSUMQUE JUDICIUM ?

Juxta morem, adversarii etiam ex parte hujusmodi Concilio auferre fidem conantur, denegantes illi diligentiam in rebus pertractandis. Aiunt sane non esse protestantica fundamenta plane examinata, dogmata non satis discussa, decreta denique contra plurium Patrum sententiam in medium prolata.

Nihilominus, etiam hic nimis calumniis indulgent adversarii, insimulque optant nos fidem istorum gratuitis assertionibus facere ; ipsi vero testimonia in themate oculata vel legere non curant, vel perlecta rejicere conantur.

Sic sane Didacus Payva, pluries memoratus in libr. 1 Defens. Trident. Synodus, Hemnitium in re compellat : « An dubitas te ac tuos Tridentinum tuto adire, confidenter alloqui et libere in eo versari potuisse ? »

Ergo quomodo protestantica fundamenta dici possunt minus examinata, si ipsi Protestantes poterant confidenter ad ea relata alloqui et libere in Concilio versari ? Dogmata autem fuisse diligenter discussa, ex ipsis verbis adversariorum concludimus. Dicunt sane Patres in iis definiendis dissentientes fuisse : ast quomodo dissensio oriri potest, nisi detur in re discussio ?

Et sic resolves etiam tertiam difficultatem ; nam in quæstione quidnam evinceretur in illis Pauli verbis :

« Hoc facite in meam commemorationem? » Cum ex 230 Patribus 215, vel 210, sentirent fuisse in illis sacerdotes initiatos; et cum reliqua minor pars se dubitare diceret, S. Synodus, ut rem ulterius ac perpensius examinaret, ad aliam sessionem definitionem remisit, in qua fere omnes convenerunt in unum. Et sic dices de aliis adversariorum somniis.

29. Instant contradictores et dicunt, in sess. 23, c. 12, statuisse Synodum Tridentinam, 25 ætatis anno licere sacerdotem esse, contra quod jam statutum erat a Concilio Aurelianensi, ad triginta scilicet annos.

Quid mirum? Agitur hic de re disciplinari; et in re disciplinari positis novis temporum circumstantiis, Concilium legitime congregatum potest leges immutare, uti in casu jam fecit Concilium Viennense, et in hac sessione Concilium Tridentinum.

30. Sed dices, etiam in re morali eodem modo se gerit Tridentina Synodus; nam in sess. 24, cap. 1, approbat nuptias sine consensu parentum, quod est contra antiquam doctrinam.

Sed in falso supposito ludunt adversarii : inibi porro Concilium illicitas dicit, et justissimis ex causis semper detestatas voluit ac prohibuisse constat.

Constituit, ex altera parte, hujusmodi nuptias ratas esse etiam sine parentum consensu ; quod est verum indubitatumque : Matrimonium revera firmum utique renunciari debet ex solo contrahentium consensu.

Et ne longior sim, finem faciam aliis in quæstione adversariorum deliramentis, et statim ab ipsis quæro : Utrum ex prædictis judicia Patrum in Concilio Tridentino fuerint recte perpensa?

31. Nunc ad tertiam propositionem.

PROPOSITIO 3ª :

UTRUM IN ORBE CATHOLICO SINT SYNODUS TRIDENTINÆ RECEPTA DECRETA ?

Veniunt contradictores et dicunt non fuisse Concilium Tridentinum ubique receptum, præcipue in Gallia, ubi Reges et Senatus semper restiterunt, Clero pro ejus receptione sæpius instante.

Et illico iis oppositionibus satisfaciam, dicens præcise Concilii Tridentini decreta, quæ ad fidem et mores pertinent, fuisse toto in Orbe Catholico recepta : ubique enim tenentur, creduntur et defenduntur; ubique sane est recepta fidei professio, a Pio IV edita, et in ea continetur summatim tota Concilii Tridentini doctrina. « Cætera, inquit professio, item omnia a sacris canonibus et Œcumenicis Conciliis, ac præcipua a S. Trid. Synodo tradita, definita et declarata indubitanter recipio atque profiteor. »

32. Proinde ab adversariis gratuite tantum asseritur non esse Concilium Tridentinum ubique receptum, si habeas ex historia factum, quod contrarium demonstret.

Nemo sane contendere potest, in primariis Regnorum Catholicorum Ecclesiis habitis Conciliis Provincialibus, illud receptum non esse.

Dicam ne unum, vel alterum.

33. In Austria reapse Synodo Augustana, ab Othone, Card. Truxesio, celebrata ann. 1657, et Salisburgensi, 1569.

In Mediolanensi Synodo Provinciali, præside Carolo Borromæo Archiepiscopo, ann. 1565.

In Ecclesia Mexicana, ann. 1585.

In Tolosana, ann. 1590.

Quid de ipsa Gallia? Cleri Gallicani preces, Regibus Christianissimis oblatæ pro Concilii Tridentini promulgatione, « salvis Ecclesiæ Gallicanæ libertatibus, » receptæ fuerunt, salvis iis libertatibus insimulque regni juribus.

34. Hinc optime repones secundæ difficultati, superius propositæ. In Gallia sane, uti advertit Bossuetius, nequidem deliberatum fuit, nec tamen deliberari poterat utrum recipiendum esset Concilium Tridentinum relate ad decreta, quæ ad fidem et mores spectabant.

Hinc si aliqua adfuit disceptatio, relate ad disciplinam versatam fuisse in propatulo est. Nihilominus, inauditum in historia ecclesiastica non est, ut quædam disciplinæ capita, etiam in Conciliis statuta, non recipiantur. S. Gregorius Papa, Epist. 31, libr. 6: « Romana, inquit, Ecclesia eosdem canones, vel gesta Synodi illius (Constantinopolitanæ I) hactenus non habuit, nec accepit; in hoc accepit, quod est per eam contra Macedonium definitum. »

Ergo decreta Concilii Trid. in toto Orbe Catholico recepta sunt.

35. Hinc ex omnibus capitibus hactenus in præsenti disceptatione consideratis et disputatis, hæ descendunt consequentiæ :

Ergo 1° Concilium Tridentinum indictum fuit auctoritate et consensu Romani Pontificis.

Ergo 2° convocati fuerunt in eo a toto Orbe Catholico omnes Episcopi.

Ergo 3° hujus acta atque decreta fuerunt confirmata a R. Pontifice, Papa Pio IV.

Ergo 4° in rebus pertractandis definiendisque in eo, servata fuit in Patribus maxima ac plena suffragiorum libertas.

Ergo 5° judicia in decretis conficiendis fuerunt recta ac peroptime perpensa.

Ergo 6° denique ejus decreta fuerunt ubique recepta.

36. Atqui hæc omnia constituunt vera ac indubitata criteria ad stabiliendum legitimum vereque œcumenicum Concilium; ita ut infallibile in suis decretis, mereatur fidem in Ecclesia universali.

Ergo Concilium Tridentinum legitimum ac vere œcumenicum fuit; neque audiendi sunt, qui, ad illius robur infirmandum, debitam Episcopis libertatem defuisse comminiscuntur. Quod jam ostendere proposuimus, et nunc probatum existimamus.

Et satis de Historia Ecclesiastica.

EX JURE CANONICO.

I

DE ACCUSATIONIBUS, INQUISITIONIBUS ET DENUNCIATIONIBUS.

THESIS 27ª.

1. Vocabulum Jus sive a justitia, sive a jubendo, idem est ac id quod rectum est, id quod justum est. Sed rectitudo et justitia relationem dicunt ad legem; et lex non intelligitur, nisi cum obligatione : obligatio autem constituit in uno debitum, in altero facultatem parit; proindeque si conjungas justum cum jussu in rectitudine pergens, habes jus.

Cujus distinctiones tot sunt, quot sunt status distincti hominis relate ad suum principium agentis, et ad objectum veluti ad terminum suæ actionis.

Atqui hæc relatio esse potest :

1° Hominis ad Deum,

2° Hominis ad Principem,

3° Hominis ad Familiam,

4° Hominis ad Civitatem,

5° Hominis ad Nationem.

Hinc jus religiosum, hinc jus politicum, hinc jus familiare, hinc jus civile, hinc jus nationale.

2. Nos hic tantum de jure religioso verbum habebimus, et solummodo de illo quatenus est ecclesiasticarum Constitutionum complexus.

Quod 1° Jus canonicum generatim appellatur a canone seu regula, sive norma ad aliquid recte certoque ordine peragendum (can. 1, dist. 3; can. 2 cod. Do. in not. ad Lancell., lib. 1, tit. 1, prin.).

Quod 2° nuncupatur Jus ecclesiasticum, quia ab Ecclesiæ Rectoribus est constitutum, et quia in rebus ecclesiasticis versatur.

Quod 3° dicitur Jus pontificium, quia potissimum a Summo Pontifice originem et vim habet.

Quod 4° denique renunciatur quoque Jus sacrum vel divinum, quia per sacros Pastores conditum est, opitulante Sancto Spiritu (cap. 3 de Constitut.).

3. His denominationibus simpliciter recitatis, sic jus canonicum describi potest : Complexus canonum, seu positivarum legum, a legitimis Ecclesiæ Pastoribus, ac præsertim a Petri successore, Romano Pontifice, sive ad explanandum dogma, sive ad mores informandos, sive ad sacram disciplinam moderandam constitutarum vel adprobatarum pro spirituali Christifidelium salute ipsiusque Ecclesiæ regimine.

4. Nihilominus, quum nos tantum de legibus disciplinaribus sermonem agere debeamus, prætermittentes dogmata et mores, jus canonicum ad rem nostram definimus : Complexum Constitutionum, a legitimis Ecclesiæ Pastoribus, præsertim a Romanis Pontificibus editarum, quibus disciplina sacra regitur pro spirituali Christianorum salute et ipsius Ecclesiæ regimine.

5. Jus canonicum scriptum dicitur, quatenus promulgatum est; et non scriptum, quatenus inolevit absque solemni promulgatione.

Utrumque est vel publicum, vel privatum.

Et privatum versatur tribus in objectis : in personis, in rebus et in judiciis.

6. Aliquid dicentes per accidens de rebus et de judiciis, nostra disquisitio est circa personas; easque solummodo consideramus in actionibus, si infeliciter in crimen ruant, deinde in pœnis, quibus ad crimina coercenda sint subjiciendæ.

Hinc 1° loquimur de accusationibus, inquisitionibus et denunciationibus, deinde de modis, quibus Ecclesia utitur in reis criminum coercendis; id est, 2° disseremus de censuris et de irregularitate.

Id tantum duabus absolvemus disceptationibus.

7. Sit igitur

De accusationibus, inquisitionibus et denunciationibus.

Quam ut facilius et clarius in paucis ostendere possimus, sequentia sunt problemata ex ordine resolvenda :

1° Quid sit delictum, et quotuplex?

2° Quid sit accusatio?

3° Quid inquisitio sit, et quotuplex?

4° Quid sit denunciatio, et quotuplex?

5° Quod discrimen intercedat inter accusationem, inquisitionem et denunciationem?

6° Quis possit accusare? quando debeat, et coram quo?

Quinam possint accusari?

In quonam versetur accusatio, et quando obligatio accusationis cesset?

7° Quis possit inquirere? quando debeat, et quando cesset inquisitionis obligatio?

In quonam inquisitio versetur, et quinam sint effectus?

8° Quis possit denunciare? quando debeat, et coram quo?

In quonam versetur denunciatio, et quando obligatio denunciationis cesset?

Ex quibus denique sunt deducenda corollaria.

8. Ad primum.

Nomine delicti intelligitur externa legis vigentis violatio, dolo malo facta, ex qua vel totius societatis, vel singulorum sociorum damnum provenit.

Est externa legis violatio : ergo si violatio tantum sit proposita, non tamen executioni mandata, non datur delictum.

Hæc violatio fieri debet dolo malo : ergo quævis violatio facta ex culpa non est delictum, sed quasi delictum.

Ergo violatio quæ casu contigit delictum non constituit.

Est violatio dolo malo : ergo in delictis renunciandis est 1° spectandum animi consilium, et 2° usus rationis et libertas illius, qui delictum commisit.

9. Delictum est vel publicum, vel privatum.

Publicum alias in specie criminis nomen venit; et crimen proprie dicitur contra quod pœna decernitur.

Vocatur delictum etiam Scelus, Maleficium, Facinus, Flagitium, Excessus, Fraus, Noxa, Injuria (Renazzi, Elem. Juris criminalis, cap. 1, § 5).

Nihilominus, iis vocabulis quandoque renunciatur aliquod delictorum genus, insuper quandoque unus vel alter ex delictis commissis effectus.

10. Est præterea delictum ordinarium, quando cum certa forma, nomine et pœna a lege taxata se exhibet.

Extraordinarium vero, cum his caret adjunctis, et a judice arbitrario punitur.

Est denique exceptum, vel non exceptum; ecclesiasticum, vel sæculare aut mixtum; notorium, vel occultum.

Cum enim in omni delicto concurrant reatus seu vitiositas actus et effectus seu damnum alteri illatum, et illi pœna respondeat hujus damni reparatio (Grot., de Jur. bell. et pace, lib. 1, cap. 17, § 22); profluit ut delicta suos teneant auctores (lib. 22, c. de Pœnis) illosque solum, qui deliquerunt obstringant.

Ergo pro delictis et delinquentibus necessaria est probatio et punitio.

Atqui hæc non possunt intelligi sine accusatione, inquisitione et denunciatione : ergo oportet ut de his tribus sermonem habeamus.

11. Ad secundum.

Accusatio itaque, prout actio criminalis, est delatio criminis alicujus apud judicem competentem, legitime facta vindictæ publicæ causa.

12. Ad tertium.

Inquisitio vero est criminis vel criminosi investigatio per judicem ex officio procedentem, legitime facta.

Est generalissima, cum nulla est in re præcedens infamia.

Est generalis, cum est cognitum delictum, et tamen ignoratur deliquens.

Est denique specialis, cum datur præcedens infamia, constat de delicto commisso, denique habetur certa suspicio personæ delinquentis.

13. Ad quartum.

Denunciatio demum est delatio criminis superiori quidem legitime facta, sed absque solemnitate.

Est, secundum canonum Doctores, evangelica, cum habetur fraterna atque charitativa delatio ad legitimum superiorem; ad hoc, ut paterne delinquens corrigatur, sine ulla pœna atque publica vindicta.

Dicitur canonica, cum aliquis superiorem ecclesiasticum adit criminis deferendi causa, sed sine solemnitate accusationis.

Quod si quis ad superiorem veniat tamquam ad judicem criminis deferendi causa, tunc habetur denunciatio civilis.

14. Ad quintum.

Discrimen igitur quod intercedit inter unam et alias aperte patet.

Differt revera accusatio ab inquisitione, quia accusatio requirit delationem, ex instituto factam : quod non præsumitur ab inquisitione.

Differt accusatio a denunciatione, quia prior non intelligitur facta sine publica vindicta; posterior non ita, quinimo tantum privatæ correctionis causa, si sit evangelica, nullam intendens pœnam, si sit canonica.

15. Differt inquisitio a denunciatione, quia in inquisitione agitur ex officio, in denunciatione minime.

Differt denique denunciatio ab accusatione simul et inquisitione, quia denunciatio excludit actionem ex officio, insimul procul habet omnem solemnitatem.

16. Hinc in accusatione proceditur per libellum rite formatum juxta Auth. offeratur Cod. ul. tit. cont. et juxta l. 3 D., h. t., indicandum est ipsum crimen, locus, tempus.

Olim insuper requirebatur inscriptio seu accusatoris subscriptio sub pœna talionis, quod jam ex usu recessit, et cum ipsis hodie ipsa accusatio.

Nihilominus, hæc omnia neque olim erant, neque hodie sunt in inquisitione et denunciatione necessaria.

17. Quibus generatim expositis, veniamus pressius ad quæstionem.

18. Ad sextum.

Quinam possint accusare?

Omnes, exceptis iis, qui specialiter sunt prohibiti; et qui specialiter sunt prohibiti recensentur a Marc., l. 8, de Accusationibus.

Qui accusare possint intelligemus, si scierimus qui non possint.

Itaque prohibentur accusare alii propter sexum, vel ætatem, ut mulier, ut pupillus.

Alii propter Sacramentum, ut qui stipendium merentur.

Alii propter magistratum potestatemque, in qua agentes, sine fraude in jus evocari non possunt.

Alii propter delictum proprium, ut infames.

Alii propter turpem quæstum, ut qui duo judicis adversus duos reos subscripta habent, nummosve ad accusandum, vel non accusandum acceperint.

Alii propter conditionem suam, ut libertini contra patronos.

19. Quando quis debeat accusare?

Quando publica utilitas publicaque vindicta id requirit. Nihilominus, cessante fine et causa, cessat etiam accusationis obligatio.

20. Quinam possint accusari?

Omnes illi, qui deliquentes inveniuntur, vel potius qui dolo capaces existimantur, non exclusis impuberibus, pubertati proximis (l. 111 de Reg. juris).

Sed quia accusatio non intelligitur sine judice, planum est non posse Principes accusari, quia judicem non habent (can. 13, caus. 9, quæst. 3).

Sic dices de reo, qui semel absolutus, nequit regulariter novo judicio iterum de eodem crimine accusari. Et hoc 1° si non exstiterint aptæ probationes; 2° si accusator cum reo collusionem fecerit : tunc sane colludente accusatore, extra ordinem punito, judex ex officio adversus reum inquiret (cap. 1 et seqq. de Collusione detegenda).

Sed hic velim, consideres animadversionem illam de qua loquitur, cap. Si his cui, tit. 1, de Accusat., Inquisit. et Denunc., in 6; nimirum si judex, omissa

inquisitione infamiæ, inquirit de criminibus coram reo præsente et tacente, non potest amplius impugnari processus, ex eo quod prius non fuit quæsitum de infamia. Colligunt ex Ord. Archid. Gemin., Joan., Andr., Anchar., Domin., Monach., Franc., Viv. in Ration., libr. 5, pag. 21; Alagona in Compend., pag. 6. Reus enim consentire censetur.

Et ita dices de aliis in re animadversionibus.

21. Accusatio insuper fieri debet apud judicem, qui habeat merum imperium. Et sic facile resolves in quonam versetur accusatio omnibus illis in delictis nimirum, in quibus ordo publicus respicitur.

In delictis vero quæ ad individuum spectant datur melius actio civilis, vel actio criminalis.

22. Ad septimum.

Quinam possint inquirere?

Diximus jam antea inquisitionem esse investigationem criminis, vel criminosi per judicem procedentem ex officio. Ergo illi omnes possunt inquirere, qui ad hoc a suprema auctoritate sunt constituti.

Erat in societate sive civili, sive ecclesiastica accusatio legibus exhibita, sed non omnibus accusatoris officium sustinere in deliciis erat; nihilominus error sub diversis capitibus huc illuc grassabatur.

Tunc Episcopus in diœcesi, vel plures Episcopi in provinciali Concilio congregati in eos, qui in diœcesi aut provincia orirentur errores inquirebant (Dadinus Altaserra, de Jurisdict. Tul., tom. 4, cap. 3). Sed necesse erat ut omnia deferrentur ad Apostolicam Sedem, remedia inveniendi causa. Decursu temporum, cum gravius malum urgere videretur, oportuit S. Pontifi-

ces in eas regiones, in quibus longe lateque hæresis serpebat, mittere speciales legatos, qui auxilium in re Episcopis darent; et ex hoc neque sublata, neque diminuta fuit Episcoporum potestas.

Hinc Innocentius III, ann. 1198, misit in Narbonensem provinciam Raynerium Guidonem, uti constat ex ejus Epist. 122 et 123, libr. 2, tom. 2.

Hinc Gregorius IX, ann. 1231, munus et nomen Inquisitoris institutum ad Fratres Ord. Prædicat. dedit.

Et qua ratione? Ut caperent, condemnarent ac postremo judici sæculari traderent hæreticos (ex Bulla Ord. Præd., tom. 1, const. 7).

Et ita deinceps, donec a S. Pontificibus, præsertim a Paulo III, Constit. Licet, et accuratius a Sixto V, Constit. Immensa, institutus fuit cœtus seu Congregatio Cardinalium, cui ipse Pontifex præest; ibique sane omnia enucleatius atque diligentius graviora negotia pertractantur : qua Congregatione reguntur omnes inquisitores, qui in orbe terrarum diffusi sunt.

23. In quibus peroptime vides toties Episcopo insimulque legitimo legato incumbere munus inquirendi, quoties id requirit prudens occasio.

24. Ex quibus vides nunquam hanc obligationem cessare, ex eo quod semper urgeat saltem generalissima inquisitio.

Certis imo temporibus fieri omnino debet (arg. c. 1, de Officio judicis ordinarii, cap. 1, § Sane de Censibus, in 6).

Vides generalem tantum urgere, cum delictum commissum constet, vel suspicio detur delicti.

Specialem denique non procedere, nisi aliquod sit, quod viam inquisitionis aperiat.

25. Ex quibus vides hanc Congregationem agere de causis, quæ apostasiam, schisma, superstitionem, hæresim aut hæresis suspicionem continent.

Et ne quis valeat inquisitionis judicium effugere, quisque sub pœna excommunicationis latæ sententiæ incurrenda infra mensem debet aut per seipsum, aut per epistolam, suo nomine, vel et cognomine signatam, aut ipsimet Congregationi, aut suæ diœcesi Ordinario reum denunciare (Girald., Exposit. Jur. Pontif., p. 1, in libr. 5, 10, tit. 7).

26. Effectus denique inquisitionis est præcipuus, ut sarta tectaque sint Religionis Catholicæ principia et instituta, sive circa dogmata, sive circa mores, sive circa universalem disciplinam.

27. Quod si hic quæratur de casu peculiari, tunc absolute reponimus inquisitionem generalissimam viam sternere ad generalem, hanc vero viam ad specialem parare: cujus effectus est 1° ut inquisitus veritatem manifestet; 2° ut judex, si reus fateri detrectet, habeat media legitima ad verum detegendum.

Fingamus denique reum crimen esse confessum; vel reus fit legitime convictus, tunc a judice uti talis condemnatur (l. 2 Cod., de Abolit.; l. 2 Cod., de Sepulchr. viol.).

28. Solent plerumque etiam hodie eo modo quo et ab initio contra S. Officii Congregationis institutionem querelæ huc illuc emitti; sed quam ob causam? Quia libere genio indulgere desideratur, et vitæ licentia passim ab hominibus prædiligitur.

Hinc illud tribunal ægre ferunt Voltairius, Rousseaus, Boulangerius, Sarpius, Giannonius, Montesquieus; quinimo data occasione, reprehendunt: sed curnam? Si tantum a limine eorum principia, systemata et opera salutaveris, jam notionem in propatulo rationis habebis.

29. Nunc ad octavum.

Quis potest denunciare?

Si mentem posueris ad finem denunciationis, illico in promptu responsionem tenebis. Finis sane denunciationis est ut delictum aliquod, damnum quodcumque atque incommodum impediatur. Atqui ad hæc omnia unusquisque tendere debet : ergo omnes denunciare tenentur, saltem si hujusmodi actio sine gravi incommodo fieri possit.

Et judex ecclesiasticus potest per viam denunciationis evangelicæ seu judicialis procedere contra quemlibet peccatorem etiam laicum maxime ratione perjurii, vel pacis fractæ, uti expresse legitur in Rubrica, cap. 13, tit. 1, Decret. de Judiciis. Ad hoc insuper non est necessarium ut procedat monitio (Arg. a Glos., in cap. 13, de Desponsatione impuberum).

30. Nunc quæritur : Utrum subditi fideles et religiosi possint denunciare proprium superiorem, ut deinde a judice corrigatur?

Possunt; et illis solum datum est, quorum interest (ita colliges ex canone 45 et can. 46, caus. 2, quæst. 7; can. 31, caus. 16, quæst. 7; cap. 31, de Simonia).

31. Et ex his jam vides quando quis debeat denunciare, et quando cesset obligatio denunciationis.

32. Vides denunciationem faciendam esse apud respectivum superiorem, ejusque objectum esse triplex, juxta triplicem denunciationis gradum.

Nimirum si hæc denunciatio sit evangelica, tunc paterna correctio rei intenditur, proindeque recta emendatio; sin denique sit civilis veluti privata, proprium interesse intenditur; veluti publica, publica intenditur vindicta.

33. Ex quibus usque adhuc breviter disputatis, sequentia corollaria profluunt:

COROLLARIUM 1um.

Ergo ille cujus est accusare habet onus insimul difficile ac societati necessarium; proindeque summa prudentia ac veritate agat.

COROLLARIUM 2um.

Ergo ille cujus est inquirere mentis rectitudine inquirat; et semper in memoriam revocet se si indulgeat inertiæ, suo non satisfacere muneri neque societatem religiosam, neque hujus jura servare.

COROLLARIUM 3um.

Ergo ille cujus est denunciare semper agat duce justitia, et ad mentem revocet se obligationem assumere non modo coram Deo, sed etiam coram hominibus.

34. Accusatores sane et denunciatores possunt vel calumniis, vel prævaricationibus, vel tergiversationibus proprium decipere munus, atque eodem tempore

fallere onus acceptum; et tunc, dum ex uno latere contra alterum falsum intendunt crimen, ex altero se subjiciunt omnibus illis pœnis, quas jus canonicum legesque civiles contra calumniatores merito constituunt.

35. Et jam tempus est huic finem imponere disceptationi; ex eo quod jam præcipua, quæ solent circa accusationem, inquisitionem et denunciationem disputari disseruimus; ideoque propositum jam complevimus nostrum.

EX JURE CANONICO.



II

DE CENSURIS ET DE IRREGULARITATE.



THESIS 28ª.



1. Nomine Censuræ a veteribus scriptoribus latinis intelligitur quælibet nota, qua aut persona, aut gestum, aut scriptum aliquod afficitur. Sed ecclesiastici Doctores illud proprie usurparunt nomen ad indicandam pœnam spiritualem. Et quod olim dicebatur canonica districtio, gladius spiritualis, nervus ecclesiasticæ disciplinæ, felix mucro. Hodie a Theologis et Canonistis dicitur Censura, quæ ab ipsis ita solet definiri : Pœna spiritualis et medicinalis, per quam homini baptizato et delinquenti, per potestatem eccle-

siasticam, aufertur usus quorumdam bonorum spiritualium.

Est pœna : ergo non datur censura sine culpa præcedenti.

Pœna spiritualis, quia intendit ad spiritualem Christifidelium utilitatem.

Et cum datur, fatente Apostolo, ut Christianus ad bonam vitæ frugem sese convertat, appellatur medicinalis.

Homini baptizato : ergo non indicitur in iis, qui foris sunt ab Ecclesia.

Delinquenti et contumaci : ergo si quis in pœnam per culpam irruat, vel misere delapsus in errorem non perseveret, neque legitimi superioris monita aspernatur, censuræ non fit obnoxius.

Per potestatem ecclesiasticam : ergo Princeps laicus nullam potest inferre censuram.

Quorumdam bonorum spiritualium usus : ergo non bona ipsa per censuram amittuntur.

2. Qua posita cognitione censuræ definitionis,

Quæritur : 1° Quotuplex sit censura ?

Et unanimi voce Theologi, saltem quoad essentiam, illam distinguunt in excommunicationem, suspensionem et interdictum.

Per accidens præterea illam dicunt Juris, cum a S. Canonibus, Constitutionibus et Statutis ecclesiasticis directe infertur.

Hominis, quatenus a legitimo superiore per modum sententiæ vel mandati indicatur.

Latæ sententiæ, si ita constituta sit, ut ipso facto incurratur.

Ferendæ sententiæ, si post sententiam judicis.

Reservata et non reservata, et ita deinceps : quæ omnia melius videbimus, cum in specie de censuris agemus.

3. Nunc quæritur : 2° Quænam sint extrema essentialia, ut censuræ validitas possit renunciari?

Tria enumerantur præcipua, et ad quæ alia veluti consectaria referri possunt.

Nimirum, ut sit præcedens peccatum, quod 1° esse debet mortale; et planum est, quia censura est pœna gravissima.

2° Ut sit externum; ait enim D. Paulus, 1 Corint, 5, 12 :

« Quid enim mihi de iis, qui foris sunt, judicare? »

3° Consummatum opere : in odiosis enim quod minimum est sequimur. Addendum hic non est quod peccatum sit mere præteritum; nam censura est medicina, neque quod sit cum contumacia conjunctum; quia, uti jam diximus, in contumaces proprie fertur censura.

4. Hinc tria breviter resolvenda problemata :

1° Cujus sit auctoritas ferendi censuras?

2° Quodnam sit censuræ subjectum?

3° Cujus sit auctoritas absolvendi censuras?

5. Ad primum.

Illius reponimus esse potestatem ferendi censuras, cui Christus sua divina voluntate facultatem largitus est leges ferendi, ut ordinatam, perfectam, independentem regeret societatem.

Atqui jam vidimus Christum dedisse Ecclesiæ suæ hanc facultatem : ergo Ecclesiæ est potestas ferendi censuras.

Divinus Magister revera, antequam dixerit Petro : « Do tibi claves regni cœlorum..... quodcumque alligaveris..... alligatum..... quodcumque remiseris..... remissum. » Loquens de delinquenti et contumaci, inquit (Matth., 18) : « Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus. »

Atqui hæc sententia nihil aliud est, quam facultas ferendi censuras; et talis, ut Conc. Tridentinum illam in Ecclesia supponens, sess. 25, cap. 3, de Reformat..., dicit esse nervum ecclesiasticæ disciplinæ, ad continendos in officio populos valde salutarem et spiritualem gladium.

6. In exercitio igitur et in praxi omnibus et tantum illis data est, qui in foro externo ecclesiastica jurisdictione, vel ordinaria, vel delegata fruuntur.

Hinc Summus Pontifex ea in orbe terrarum uti potest; hinc Episcopus in sua diœcesi; hinc Capitulum sede vacante; hinc Nuntius Apostolicus, etc.

Et id ex consensu Theologorum unanimi.

7. Ad secundum.

Censura ferri potest in solos homines baptizatos; et clare patet ratio ex Apost. (1 Corinth., 5).

In viatores, quia mortui non sunt ulterius sub Ecclesiæ jurisdictione.

In rationis capaces, quia est pœna; et pœna non intelligitur sine culpa, et culpa non concipitur sine intellectu et voluntate.

In subditos, quia est actus jurisdictionis.

8. Ad tertium.

Ex regula generali omnes illi possunt absolvere censuras, qui eas possunt inferre, et illas absolvere, quas inferre ipsi possunt.

Sed aliquid speciatim dicentes, asserimus censuram, dummodo lata sit a jure communi, vel ab homine per sententiam generalem, et dummodo non sit reservata, unumquemque absolvere posse, qui potestatem obtinet absolvendi a mortalibus peccatis pœnitentem; nam si reservata, aperte patet illum tantum eam posse absolvere, cujus est illam inferre. Hoc porro concluditur ex cap. 29 Decret. Greg., h. t.

Item dices, si censura lata sit per particularem sententiam; tunc illius est tantum eam absolvere, cujus fuit facultas illam inferendi.

In articulo mortis denique quilibet sacerdos absòlvere potest. Ecclesia enim, misericordiæ et charitatis dives, media ad finem ultimum a Christo Domino pro hominibus instituta illis semper impertiri desiderat.

In occultis tandem Episcopus, etiam in Bulla Cœnæ reservatis, hac absolvendi gaudet facultate.

Non loquor hic de Regularibus.

9. His in genere de Censuris delibatis, disserendum nunc est de earumdem speciebus.

Et primum.

DE EXCOMMUNICATIONE.

10. Excommunicatio itaque, nempe segregatio, abstentio, ejectio a corpore Ecclesiæ, vel a participatione Sacramentorum est censura, per quam Christianus a communione fidelium excluditur et bonis spiritualibus, quæ illi inter se communicant, sive omnino, aut partim privatur.

Bonis spiritualibus, quæ illi inter se communicant. Ergo jure ac merito a Leone X, Bulla Exurge, dam-

nati fuere Lutherani, et a Pio VI, Bulla Auctorem fidei, Jansenistæ, qui hanc ausi sunt constituere et tueri propositionem : Excommunicationem esse pœnam tantummodo externam, neque privare fidelem communibus spiritualibus Ecclesiæ orationibus.

Excommunicatio sane afficit maxime spiritualia, quia est pœna vere spiritualis.

11. Hinc quærendum : Utrum Ecclesiæ a Christo data sit potestas excommunicandi?

Et absque ulla tergiversatione affirmativam damus responsionem; cum enim a Divino Magistro communio christiana in Ecclesia posita sit, profluit in eadem residere potestatem criminosis interdicere communionem.

12. Quæritur : Utrum hoc jus excommunicandi sit in Ecclesia tantum jure humano, vel etiam jure divino?

Et Cathari et Albanenses ac deinde Wicleffitæ insimulque Lutherani non erubescunt negare hanc potestatem in Ecclesia institutam esse jure divino; sed falso laborant systemate. Jus enim infligendi excommunicationem, quod a Christo Ecclesiæ datum fuit tam certum, tamque exploratum est, ut illud in discrimen revocare insignis sit impudentiæ modus.

Quid enim sonant illa verba Scripturæ : « Si te non audierit, dic Ecclesiæ; si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus, » nisi excommunicationem?

Hoc in sensu illa verba intellexerunt Patres, illaque in sensu eodem intellexere interpretes; morem Hebræorum consectantes, qui ab externæ gentis ac

religionis consortio sese penitus abstinebant ex divino quoque præcepto (Exod., 34, 12, 15, 16).

13. Qua constituta in Ecclesia potestate, sequentes breviter sunt resolvendæ quæstiones :

1° Quotuplex sit excommunicatio?

2° Quinam sint excommunicandi?

3° Quando incurratur excommunicatio major, quomodo minor?

4° Quinam sint utriusque excommunicationis effectus?

14. Ad primam.

Excommunicatio itaque est major, vel minor, uti clare habetur in cap. 59 Decret. Gregor. IX, h. t.

Et minor, per quam Christifidelis a percipiendis Sacramentis et a beneficiis obtinendis arcetur.

Major, per quam aliquis privatur omnibus Ecclesiæ communibus bonis, id est administratione activa Sacramentorum, passiva receptione, suffragiis Ecclesiæ, denique fidelium communione.

Hic vero a Canonistis solet disputari : Utrum detur discrimen inter excommunicationem et anathema?

Et putamus illam esse veram sententiam, quæ tenet in re utrumque esse unum et idem; differre tamen propter solemnitates et cæremonias, quæ in ferendo anathemate adhibentur, quæque describuntur in can. 106, cap. 11, quæst. 3.

Est excommunicatio vel latæ, vel ferendæ sententiæ.

Est in corpore juris, vel extra corpus juris.

Est reservata, vel non reservata.

15. Ad secundam.

Qui autem sunt excommunicatione irretiti, excommunicati dici solent; et dispescuntur in toleratos et vitandos.

Dicuntur tolerati, quos fideles non tenentur vitare. Sed hæc distinctio originem ducit ab Extravaganti Martini V ad evitanda scandala, post Concilium Constantiense; nam in veteri disciplina omnes excommunicati erant vitandi et non tolerati.

16. Nunc quæritur : Quando quis uti excommunicatus vitandus haberi debeat?

Quando in eum excommunicationis sententia a judice publicata, vel denunciata specialiter et expresse est.

Præterea ille vitandus renunciandus sit, qui palam in clericum sacrilegas injecit manus, quamquam ad judicem denunciatus non sit.

17. Hinc resolves 1° toleratum posse Sacramenta licite conficere atque etiam administrare, quotiescumque a fidelibus expostuletur.

E contra vitandum.

Hinc resolves 2° quod si quis a vitando Sacramenta scienter receperit sine necessitate, peccat graviter: transgreditur enim grave præceptum.

Quinimo si susceperit ordinem ab Episcopo vitando, incurrit etiam suspensionem ab exercitio.

Resolves 3° communicationem prohibitam esse cum vitando, quæ a Doctoribus solet sequenti versiculo comprehendi :

Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

Licite tamen cum vitando communicant uxor, li-

beri, mancipia, rustici servientes, qui ignorant, qui emunt ab illo, nisi habeant alium unde emant (cap. Quoniam multos, 11, quæst. 3).

Ex quibus Doctores communiter deducunt quinque casus, et hoc exprimunt versiculo :

Utile, lex humilis, res pignorata, necesse.

Resolves 4° potest cum tolerato communicari in omnibus tum civilibus, tum divinis ac si excommunicatus non esset.

Resolves 5° etiam cum hæreticis, schismaticis cæterisque, qui expresse ac speciatim excommunicati non sint, saltem in civilibus vetita communicatio non est.

18. Hisce hucusque disputatis, prætermittentes quinam ferre possint excommunicationem, in quibus quinam absolvere; ex eo quod jam de his præcipua diximus, cum superius de censuris in genere pertractavimus, gradum faciamus ad extrema jam proposita in themate problemata resolvenda, et illico quærimus :

Quando incurratur excommunicatio major? quando minor?

19. Ad tertiam.

Incurritur excommunicatio major, quando committitur peccatum mortale, sensibile, opere consummatum, non mere præteritum, cum contumacia conjunctum.

Incurritur minor propter communicationem cum vitando.

Si autem quæratur utrum culpa gravis habenda sit ad incurrendam excommunicationem minorem,

reponitur sufficere culpam venialem plene deliberatam.

20. Ad quartam.

Effectus innumeri excommunicationis majoris ad octo præcipuos reduci possunt :

1° Ad privationem Sacramentorum (cap. 52, h. t.).

2° Ad privationem suffragiorum Ecclesiæ (cap. 38, h. t.).

3° Ad privationem divinorum officiorum (cap. 8, de Clerico excommunicato ministr.).

4° Ad privationem sepulturæ ecclesiasticæ (Clem. I, de Sepult.).

5° Ad privationem jurisdictionis ecclesiasticæ (cap. 24, de Sent. et de re judicata).

6° Ad privationem beneficiorum (cap. 8, cit., de Cler. excomm. ministr.).

7° Ad privationem communicationis forensis (S. Ligor., n. 184).

8° Ad privationem societatis civilis (S. Ligor., n. 188 et seqq.).

21. Effectus vero excommunicationis minoris præcipuus est quod privet usu passivo Sacramentorum (cap. fin., de Cler. excomm. ministr.).

22. Quibus hactenus de censuris in genere et de excommunicatione in specie disputatis, loquentes nos de suspensione et interdicto, sufficit ut hæc tantum aliquo in modo definiamus, et sic insimul naturam et partitiones modosque cognoscimus.

23. Sit igitur prima disquisitio.

DE SUSPENSIONE.

Quæ a Canonistis definiri solet : Censura, qua clericus privatur ad tempus ex parte vel toto usu potestatis quam habet ratione ordinis, officii et beneficii. Ergo suspensionis subjectum solum esse potest clericus.

Ergo est totalis, vel partialis; latæ sententiæ, vel ferendæ; reservata, vel non reservata.

Ergo graviter peccat, qui suspensus actum sibi per suspensionem vetitum exercet.

Ergo suspensus non toleratus et publicos exercet invalide actus jurisdictionis.

Toleratus vero quamvis illicite, tamen valide jurisdictionem exercet. Et sic deinceps.

DE INTERDICTO.

24. Interdictum est censura, qua usus divinorum officiorum, aliquorum Sacramentorum et sepulturæ ecclesiasticæ certis personis prohibetur, aut in quibusdam locis in pœnam alicujus criminis.

Ergo interdictum non tam late patet quam excommunicatio, late patet plusquam suspensio; formaliter et directe privat rebus sacris, quatenus sunt sacræ, ad divinum cultum pertinentes.

Ergo prohibet a divinis officiis, prohibet ab administrandis et recipiendis quibusdam Sacramentis, prohibet a sepultura ecclesiastica.

Est personale, locale, mixtum; est generale et particulare.

25. Datur denique et alia censurarum species,

nimirum cessatio a divinis, quæ est prohibitio clericis facta, ut abstineant ab officiis divinis, ab administratione Sacramentorum et ab ecclesiastica sepultura, aliquo in loco determinata. Ergo cessatio a divinis non est censura.

Ergo differt ab excommunicatione, suspensione et præsertim irregularitate. Hoc revera esse potest personale, non vero cessatio a divinis.

In interdicto generali licet celebrari officia divina, quamvis januis clausis; minime vero in cessatione a divinis, et ita porro.

Est vel a jure, vel ab homine.

Et sic explicit prima pars thesis nostræ.

Nunc ad secundam.

DE IRREGULARITATE.

26. Quod si quis censura irretitus sit et nihilominus actum agat vetitum, in irregularitatem incidit.

Irregularitas sane est impedimentum quoddam canonicum seu legitimum, quo quis neque ad ordines officiave ecclesiastica admitti potest, neque in susceptis ordinibus atque officiis ministrare.

Est impedimentum: ergo non est pœna; et si quando per modum pœnæ imponatur, hoc fit secundario tantum, non ad reum puniendum, sed ad indecentiam in sacro ministerio præcavendam.

Ergo ex hoc capite distinguitur a censuris.

Est impedimentum canonicum: ergo ex jure canonico tantum originem ducit.

Est impedimentum legitimum: ergo nonnisi lege, aut ea forma quæ legis vices gerit, induci potest.

Hinc receptum est, ex cap. 18, de Sent. excomm., in 6, ut non alias irregularitatis nota incurratur, quam sanctione generalis juris, quod sive a Pontifice Maximo, sive a Generali Concilio editum, sive etiam quod generali totius Ecclesiæ consuetudine inductum fuerit (Clement. III, de Ætate et qualit. præficiendorum).

Neque ad ordines officiave ecclesiastica admitti potest, neque in susceptis ordinibus atque officiis permanere.

Ergo effectus præcipui (ad quos omnes alii reduci possunt) irregularitatis recensentur : 1° ut irregularis impediatur ne ad sacra ministeria admittatur; 2° ut qui semel rite admissus fuerit ad eadem sacra ministeria ab iis repellatur, cum in irregularitatem inciderit.

Nunc de causis irregularitatis.

27. Non una eademque fuit in Ecclesia disciplina quoad irregularitatem, uti videre est apud Thomass. vet. et nov. Eccles. discipl., part. 2, lib. 2, a cap. 17 ad 91.

Hodie tamen irregularitates omnes ex duabus causis procedere videntur : ex defectu scilicet et ex delicto; hac nimirum differentia, ut quæ proficiscuntur ex defectu non pœna sint, sed impedimenta; quæ vero profluunt ex delicto, et impedimenta sint et pœna (pœna, inquam, in sensu jam relato).

28. Multiplex nihilominus, a Canonistis solet defectus memorari, ob quem aliquis efficitur irregularis.

Sed nos tantum octo recensemus cum Doctoribus species, et sunt : 1° Defectus animi, 2° Corporis,

3° Natalium, 4° Ætatis, 5° Libertatis, 6° Sacramenti, 7° Lenitatis, 8° Famæ.

Quinam vero ipsi sint, facile potest hauriri in quolibet ex Canonistis auctoribus.

29. Irregularitates autem quæ ex delicto nascuntur, ad quinque classes revocari fas est: 1° ad malam baptismi susceptionem ejusque iterationem; 2° ad malam ordinum susceptionem et usurpationem; 3° ad censuræ violationem; 4° ad criminum quorumdam enormium patrationem; 5° ad homicidium et mutilationem.

Quæ omnia ita exhibentur in sequenti versiculo:

Fontes reus, sacris, censura, crimine, leto.

30. Quibus consideratis, prosequimur dicentes irregularitatem esse vel totalem, vel partialem, vel perpetuam, vel temporalem.

31. Dicimus ut ipsa incurratur ab aliquo, requiri ut in jure expressa sit (cap. Is qui, de Sententia excommunicat., in 6).

32. Dicimus cessare ordinarie cessante causa ob quam est inducta, si ea sit ex defectu; dummodo non sit ex defectu lenitatis, vel Sacramenti.

Non cessare tamen cessante delicto, si ea sit ex delicto.

33. Dicimus irregularitatem ex utroque capite cessare propter dispensationem, a legitimo superiore factam.

Hinc Papa in foro externo ab omni irregularitate dispensat, sive per se, sive per Congregationem Concilii, uti videre est in Cosentina, inter supplices libellos diei 13 julii 1725; in Baren. diei 20 de-

cembris 1823; in Bergomen. diei 27 nov. 1852; in Pampilonen. diei 23 apr. 1853; in Aesina, 26 novemb. 1864; in iis omnibus sane et in aliis permultis agitur de dispensatione ab irregularitate.

Hinc Pœnitentiarius Major dispensat in cunctis fere casibus occultis pro foro interno, ex Bulla Pastoral. Benedicti XIV.

Hinc Episcopus vel per se, vel per suum Vicarium, specialiter ad id deputatum, in irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum (Conc. Trid., sess. 24, can. 6).

In iis quæ ex defectu proveniunt, potest dispensare in bigamia similitudinaria, et cum illegitimis ad minores ordines ac beneficia simplicia.

34. Et sic cum juris canonici thesibus explicit etiam præsens disceptatio. Diximus sane de censuris et de irregularitatibus: quod disputandum proposuimus.

EX JURE CIVILI.



I

QUID JUS CIVILE, SEU ROMANUM? QUÆNAM EJUS ORIGO? QUINAM PROGRESSUS? QUODNAM OBJECTUM?

THESIS 29ª.

1. Inter juris divisiones, quas superius retulimus, ultima certe non est illa, quæ pertractat de Jure Civili. Jus enim hoc, sive tu consideres in antiquitate, sive in ætate recentiori, semper concludere debes in eo esse normam vivendi in civitate ac ordinem in ea servandi; ideoque populis esse necessarium.

At quæ sine legibus societas? Lege carens civitas, sciscitabatur Tullius a Quinto, de Leg., libr. 2, anne ob ipsum habenda nullo loco?

Et cum Quintus scite respondisset: « Dici aliter non potest. » Tullius conclusit: « Necesse est igitur legem haberi in rebus optimis. »

Aufer sane legem; et tunc habes populum effrenum atque insanientem.

Aufer legem; et tunc vides insidias strui personis, fidem falli in contractibus, alienum rapi.

Tolle denique legem; et omnia humana divinaque omnia misceri vides.

Hisce ductis considerationibus, Romani jura sanxerunt, et tractu temporis opus fere divinum exararunt.

2. Sed quomodo loqui de eo in suis relativis proportionibus, tum generatim, tum speciatim?

Hoc utique prætergreditur nostram institutionem; idcirco in verbis ultra non immorantes, duo tantum selegimus themata. Et in 1° exhibere lectoribus conabimur ideam synopticam juris civilis in sequenti enunciatione : Quid sit jus civile, seu Romanum? Quænam ejus origo? Quinam progressus? Et quodnam objectum?

In 2° autem, data breviter rerum divisione et constituta vera dominii natura, prolixius loquendum est de peculio. Id tamen, more solito, duabus absolvemus disceptationibus.

Hinc illico ad primam, et quærimus :

3. Quid sit jus civile, seu Romanum?

Vocabulum jus in re accipitur proprie, vel improprie.

Proprie nempe pro lege, et tunc est jus constituens, seu jus superioris, obligans inferiores, ut actiones suas constituant atque componant ad ejus rescriptum.

Hujusmodi legis partes sunt quatuor : imperativa, prohibitiva, coercitiva et permissiva (l. 7 D., de Leg.). Improprie accipitur tribus modis :

1° Pro eo quod in jure continetur, et pro eo quod juri tribuitur. Generatim nimirum, quatenus jus suum cuique tribuitur; speciatim vero pro ea facultate, quam lex concedit, v. g., cum dicitur ususfructus: jus utendi, fruendi.

2° Pro arte æqui et boni : ars itaque est collectio, seu comprehensio præceptorum.

Bonum est quod congruit naturæ rationali et sociali.

Æquum, quod opponitur inæqualitati.

Ergo non datur æquum sine bono, non bonum sine æquo.

3° Pro loco ubi jus redditur; ex quo vocare in jus, in jus rapere.

4. Hinc jus constituens et jus constitutum.

Atqui jus constituens, id est quod lex constituit, et jus constitutum, id est quod jussum est, efformant jurisprudentiam.

Quæ a Justiniano, § 2, Inst., et l. 10, § 1 D., h. t., definitur : « Rerum divinarum et humanarum notitia, justi injustique scientia. »

Sed hæc definitio fallit in genere proximo. Philosophia enim Græca erat etiam humanarum rerum divinarumque notitia.

Hinc melius Jurisprudentia describitur, si dicatur : Habitus practicus leges recte interpretandi applicandique quibusvis speciebus obvenientibus.

Habitus, nimirum series ac systema notiorum principiorumque.

Practicus, seu non speculativus.

Leges : objectum enim materiale juris sunt res divinæ et humanæ; formale e contra sunt hæ, quatenus referantur ad justum et injustum.

Interpretandi : scire enim leges non est earum verba tenere, sed vim et potestatem (l. 17 D., de Leg.).

Et curnam? Ut recte possint applicari speciebus obvenientibus.

5. Juris præcepta tria sunt, et ad ea omnia alia reduci possunt : 1° honeste vivere; 2° alterum non lædere ; 3° suum cuique tribuere.

6. His relate ad vocabulum jus constitutis, videndum est quid civile ?

Civile, ait Justinian., § 2 Inst., de Jur. nat. gent. et civil. : « Ex unaquaque civitate appellatur, veluti Atheniensium. »

Hinc interrogationi : Quid sit jus civile ?

Recte reponitur : Quod quisque populus ipse sibi constituit, id ipsius proprium civitatis est, vocaturque jus civile (Justinian., § 1, Inst., loc. cit.). Sed hoc Summus Imperator Reipublicæ cujusque coordinat utilitati (l. 11 D., h. t.).

Hinc quo Romanus populus utitur, jus civile Romanorum appellamus.

Sed quoties non addimus nomen cujus sit civitatis, nostrum jus significamus; sicuti cum Poetam dicimus, nec addimus nomen, subauditur, apud Græcos, egregius Homerus, apud nos, Virgilius (Justin., § 2, Inst., loc. cit.).

Et en ratio cur diximus in principio jus civile, seu Romanum. Dicitur sane jus civile Romanum per anthonomasiam, et 1° propter ejus excellentiam, et 2° propterea quod fuit ab omnibus gentibus fere receptum.

Ait sane summus Tullius de eo (Orat., libr. 1) :

« Quantum præstiterint nostri majores prudentia cæteris gentibus tunc facillime intelligetis, si cum illorum Lycurgo et Dracone et Solone nostras leges conferre volueritis. Incredibile est quam sit omne jus civile, præter hoc nostrum, inconditum ac pene ridiculum ; de quo multa soleo in sermonibus quotidianis dicere, cum hominum nostrorum prudentiam cæteris hominibus et maxime Græcis antepono. »

7. Hoc tam præclarum eximiumque Romanum jus est scriptum, nempe expresse promulgatum, et non scriptum, id est tacite introductum.

8. Partes juris scripti sunt 6 : Lex, Plebiscitum, Senatus-Consultum, Principum Placita, Magistratum Edicta, Responsa Prudentum (l. 6, prin., § 1, D., h. t.).

9. 1° Lex stricte sumpta a Romanis vocabatur, quam populus Romanus, superiore magistratu rogante, constituebat (Justin., § 4 Inst., loc. cit.).

Erat tunc libera Respublica, et collectis comitiis, omnes ad legislationem concurrebant. Hinc Ulpianus, l. 1 D., de Leg., dicit : « Legem communis Respublicæ sponsionem. »

10. 2° Plebiscitum est quod plebs, plebeio magistratu interrogante (veluti tribuno), constituebat (Just., Instit., § 4, loc. cit.). Plebs a populo differt, veluti pars a toto, veluti species a genere. Populus enim complectitur et senatores, et patricios, et plebeios; plebs autem solos plebeios. Senatores illi dicebantur, qui potestatem habebant ferendi sententias in Senatu ; patricii vero, qui ex nobilibus familiis originem tenuere.

11. 3° Senatus-Consultum est quod Senatus jubet atque constituit (Justin., § 5, Inst., loc. cit.).

Sed animadvertendum est jus ferendi leges esse solius populi; Senatui tantum decernere de solo ærario, de pecunia publica, etc.

Sed postquam Tiberius ab agro ad curiam transtulit morem ferendi leges, tunc data fuit patribus omnis potestas. Et curnam?

Ait Justinian., § 5, Inst., loc. cit. : « Cum auctus esset populus Romanus in eum modum, ut difficile esset in unum convocari eum legis sanciendæ causa, visum est æquum Senatum vice populi consuli. »

Sed putamus hanc esse fictitiam rationem; veramque Tiberio hujus agendi rationis causam mihi videtur fuisse quod Tiberius Romanorum multitudinem collectam metueret, Senatum vero sibi devictum haberet.

Hinc Senatus-Consultum ab eo tempore melius definitur : Quod sit jus a Senatu loco populi, ad orationem Principis, vel consulis relationem constitutum (l. 2, § 9, de Orig. juris).

12. 4° Principum Placita sunt illa, quæ Princeps animo condendæ legis jubet.

Hinc illud apud Rom. Jurisconsultos adagium : Quod Principi placuit legis vigorem habet (Just., § 6, Instit.). Quæ tamen placita Constitutiones vocarunt; quibus Princeps vel omnes cives velit obstringere, vel quibusdam extra ordinem aliquod aut indulgere, aut imponere. Unde priores nuncupantur generales, speciales dicuntur posteriores. Hinc Rescripta, hinc Decreta, hinc Edicta, etc.

13. 5° Edicta Prætorum, id est illud jus honorarium, de quo loquitur Justin., § 7, Inst., loc. cit.;

illud nimirum cui auctoritatem dederunt qui honores gerunt, id est Magistratus.

14. 6° Responsa Prudentum denique sunt sententiæ et opiniones Jurisconsultorum, quorum hujusmodi erat auctoritas, ut judici recedere ab illis non liceret (Just., § 8, Instit., loc. cit.).

Et sic breviter notitiam habes de jure scripto Romanorum.

15. Quoad jus non scriptum paucis me explicem necesse est.

Illud scilicet est quod usus approbavit et populi diuturni mores.

Cujus species præcipua, et mea quidem sententia, unica est consuetudo. Antiquitus etiam Responsa Prudentum in jus non scriptum referebantur, sed hodie id asserere verum non est; illa enim etiam in juris corpus migrarunt.

Et satis sit de prima quæstione proposita.

16. Ad secundam et tertiam :

Quænam juris civilis Romani origo?

Et quinam progressus?

Tres sunt in Romana gente epocæ diligenter considerandæ, quibus luculenter distinctis, facilius et clarius est quæstionibus a nobis propositis satisfacere :

1° Tempus scilicet Regum, id est a Romulo ad an. 244 Urbis conditæ.

2° Tempus Reipublicæ a Regum cessatione, an. 244, usque ad an. 723, usque ad Augustum.

3° Tempus Imperatorum ad Justinianum inclusive.

DE PRIMO TEMPORIS INTERVALLO.

17. Ait Pomponius, in § 1 D., de Orig. jur. : « Et quidem initio civitatis nostræ populus sine lege certa, sine jure certo primo agere instituit, omniaque manu a Regibus gubernabantur. »

Arbitrium igitur Regum primo tempore populum regebat Romanum.

Sed cum videretur hoc minus dignum ad novæ gentis ordinem ejusque constitutionem; ipsi Reges ad nonnullas devenerunt dandas leges, quæ ex auctoribus leges Regiæ dictæ sunt, quasque insuper (cum collegerit Papinianus, locum et nomen juri dedere Papiniano.

DE SECUNDO TEMPORIS INTERVALLO.

18. Expulsis Regibus (prosequitur Pompon., § 3, loc. cit.) : « Lege Tribunitia omnes leges hæ exoleverunt; iterumque cœpit populus Romanus incerto magis jure et consuetudine ali, quam per latam legem. »

Sed hoc incivile nationi erat; et quamvis Senatus-Consulta atque Plebiscita condita fuissent, nihilominus dubio semper locus erat.

Itaque communi tandem suffragio decretum fuit legatos ad Urbes Græcas mitti, qui ad Urbem Romam optimas leges possent afferre.

Hinc originem XII Tabulæ tenuerunt; quas consecutæ fuere actiones legis, actus legitimi; et ex his jus Flavianum Elianumque (l. 2, §§ 5, 6, 7, loc. cit.).

19. Sed hujusmodi leges in Tabulis comprehensæ

non clara perspicuitate fulgebant; proindeque venit interpretationis necessitas, cujus potestas ad Jurisconsultos et Prudentes pertinebat. Hinc disquisitio Fori, quæ pertinebat ad Prætores, quorum erat non modo judicandi facultas, verum et adjuvandi, supplendi corrigendique jus civile (l. 7 D, de Just. et jur.).

Inde jus honorarium (l. 7 et 8 D., loc. cit.).

20. Neminem præterit hoc tempore inter tot magistratum difformia edicta, inter tot leges, inter tot plebiscita, inter tot senatus-consulta talem fuisse in legislatione confusionem, ut nemo, quamvis inter peritos Jurisconsultus, posset facile veritatem invenire; ideoque res proportionatum requirebat remedium.

DE TERTIO TEMPORIS INTERVALLO.

21. Devicta nihilominus Republica eique Monarchia suffecta, statim quoque juris sensibiliter facies mutata fuit.

Augustus profecto et voluit jura vigere vetera, et leges secundum antiquos condidit ritus; et expresse edixit ut non omnes possent consulentibus respondere, sed tantum illi, quibus est a Principe facta potestas.

Unde clarissimum Labeonem, unde doctissimum Atteium Capitonem invenies.

Hinc scholam Cassianam hincque Proculianam habes.

Hinc Marcellum, Scævolam, Paulum, Papinianum, Ulpianum, Modestinum aliosque jurisprudentiæ Patres, quos honoris gratia referre in deliciis mihi est.

Habes postea edictum perpetuum Juliani, quod,

imperante Adriano, ex tot tamque variis edictis fuit concinnatum.

22. Defuncto Adriano, Respublica iterum Principum Constitutionibus gubernabatur; ac denuo illa incertitudo atque confusio, quæ ex indefinitis Prætorum edictis originem ducebat, in medium venit per Constitutiones.

Erat proinde necessarium ut aliquis in re ordo eveniret.

Hujusmodi necessitate moti, Paulus Jurisconsultus et Papinius Justus collectionem aliquam aggressi sunt; et primus collegit libros sex Constitutionum Imperialium, et alter, sub Septimio Severo, Constitutiones Veri et Antonii, in 20 libros dispositas, edidit.

Secutus postea fuit Codex Gregorianus, denique successit Codex Hermogenianus.

Et ex quibus duobus postremis editus est Codex Theodosii, a suo auctore cognomentum mutuans.

23. Sed concinnæ et scientificæ collectionis gloriam et honorem Divo Justiniano Providentia servavit.

Hic natus Thauresi in Pannonia, anno reparatæ salutis 482, adoptatus ab avunculo suo Justino et adscitus in Imperii consortium Kalendas aprilis ann. 527, avunculo successit.

Initio sui Imperii, Triboniano aliisque Jurisconsultis mandatum dedit, ut ex legum colluvie in tribus codicibus superius notatis contenta, unum concinnarent codicem, qui utique lucem vidit 7 april. 529, sub nomine Codicis Justiniani.

24. Postea iterum eidem mandavit Triboniano, ut cum aliis Jurisperitis meliora excerperet, ac ex

antiquiorum Prudentum libris unum concinnaret opus.

Libenter Tribonianus Principis jussui paruit; et en admirabile opus : en Digestum, seu Pandectæ.

Cujus vulgata divisio est triplex; nimirum Digestum vetus, Infortiatum, Digestum novum; cujus partes septem sunt, cujus libri sunt quinquaginta.

25. Sed nondum hoc sublime opus erat promulgatum, cum idem Princeps suas edidit Institutiones, quarum libri sunt quatuor.

Nihilominus, facta Pandectarum publicatione, illis eamdem dedit auctoritatem, quam largitus erat Institutionibus.

26. Quoniam vero voluntas hominis ambulatoria est usque ad mortem; evenit ut, abrogato primo Justinianeo Codice, alterum emiserit sub nomine Repetitæ Prælectionis.

27. Demum alias publicavit Constitutiones, quas Novellas nuncupavit; et quia authenticæ, Authenticarum librum constituunt.

Atque hoc est illud præclarum Juris Civilis Corpus, ab Imperatore Justiniano compositum, quo Romanæ utuntur scholæ, et quod in orbe terrarum habetur peculiarium jurium fundamentum.

28. His usque adhuc delibatis, putamus sufficientem duobus quæsitis propositis datam esse responsionem, ut facile intelligatur quænam sit origo, quinam progressus juris civilis seu Romani.

29. Sed certe satis non est, ut tantum de ortu, progressu, vicibusque civilis juris sermonem habeamus; oportet quoque ut ejus penetralia parumper ingredia-

mur, atque ad hoc faciendum ita proponimus postremam quæstionem :

30. Quodnam sit juris civilis seu Romani objectum?

Cui quæstioni facilis est responsio.

Est illud præcise in quo hujusmodi jus versatur.

Atqui jus Romanum versatur in personis, in rebus et in judiciis : ergo illius objectum sunt personæ, res, judicia.

31. Non loquimur hic de rebus, ex eo quod aliquid de his dicemus in sequenti disceptatione.

Remanet igitur ut præcipua capita recenseamus de personis et judiciis.

32. 1° De Personis.

Nomine personæ intelligitur a Jureconsultis homo consideratus cum suo statu (Inst., § 75). Homo enim est quæcumque mens, ratione prædita in corpore humano.

33. Status enunciatur illa conditio ex qua homines diversis utuntur juribus, quæ conditio si ab ipsa natura procedit, dicitur Status naturalis ; sin ab ipsorum hominum instituto, dicitur Status civilis.

34. Sub naturali statu considerantur Nati, vel Nasciturі; Mares et Fœminæ; Minores, vel Majores; Puberes, vel Impuberes.

35. Sub civili statu venit Libertas, Civitas et Familia.

36. Ex libertate homines sunt vel liberi, vel servi.

Et liberi qui non sunt in justa servitute; et servi, qui caput non habent, et sunt res.

Liberi denique dicuntur vel Ingenui, vel Libertini.

37. Ex civitate Cives Romani, vel Peregrini Latini, Italici, Provinciales, Hostes.

38. Ex Familia denique societas prima hominum venit; nimirum ex viro et uxore, justis nuptiis conjunctis.

Nuptiæ sane pro Romanis sunt conjunctio maris et fœminæ, consortium omnis vitæ, divini et humani juris communicatio (l. 1 D., de Ritu Nupt.). Ex iis filii veniunt.

Filiorum genus est triplex: vel legitimi sunt, vel legitimati, vel illegitimi.

Legitimi nascuntur aut fiunt: nascuntur ex justis nuptiis, fiunt adoptione.

Adoptio porro est assumptio alicujus in liberum (princ. Inst., h. t.).

Illegitimi, qui extra nuptias vitam tenent; qui tamen possunt legitimari subsequente parentum matrimonio, rescripto Principis, vel denique professione religiosa.

39. Quo posito, æquum est ut aliqua jura sint in filios constituta parentibus; et hæc sunt vel a natura, vel a lege. Quorum præcipuum est patria potestas de jure naturali, relata a Pomponio, in l. 2 D., de Just. et jure.

Ex qua conceditur profecto parenti jus vitæ et necis in liberos (l. ult. Cod., de Patr. potest.; l. 2, in fin. D., de Liber. et Posthumis).

Per eam quidquid filius acquirit, patri acquirit, ut pater possit liberis tutores dare (v. 3 Instit., de Tutelis), ut liberi nihil magni momenti sine patris consensu agere possint et neque nuptias facere (pr. Instit., de Nuptiis); et sic deinceps.

40. Quæ patria potestas denique solvitur tribus modis : Morte, eminenti filii Dignitate, Emancipatione.

1° Mors est naturalis et civilis.

Per naturalem omnia finem habent : sane mors omnia solvit.

Civilis habetur, cum libertas simul ac civitas, aut civitas, retenta libertate, amittitur. Et tunc civiliter mortuus nullo jure civili gaudet ; ideoque nec patria in filios potestate.

2° Non quælibet dignitas ab ea liberat, sed eminens, et cui leges hanc prerogativam tribuunt.

3° Denique solvitur patria potestas per emancipationem, quæ solet definiri : Patriæ potestatis relaxatio, cum patris et filii consensu legitime expleta (l. 3, 5, 6 Cod., de Emancip. liber.). Et satis de personis.

41. Nunc breviter aliquid de Romanorum judiciis.

Fuit igitur in Romana gente, ut hactenus disputavimus, maxima legum institutio ; debebat etiam et esse pars illa, quæ de judiciis pertractat, et quidem non defuit.

« Nos ideo (inquit Quintilian., Declam. 13) magistratus legesque a majoribus nostris accepimus, ne sui quisque doloris vindex sit, et assidue scelerum causæ refellant, si ultro crimen imitabitur. Damnum accepisti ? Erat lex, forum, judex, nisi vos jura vindicari pudet. »

42. Judicium porro est legitima causæ cognitio, discussio ac definitio inter actorem et reum, coram judice facta (Voet., Comm. ad Pand.). Multiplex est :

1° Est civile, vel criminale ;

2° Publicum, vel privatum ;

3° Ordinarium, vel extraordinarium.

Judicium civile est reale, vel personale; est petitorium, vel possessorium; ordinarium, vel summarium.

Et summarium dicitur, in quo omnia breviter expenduntur, quo casu judici summatim cognoscere, summatim æstimare et summatim res exponere fas est (l. In hac act. D., § Sciendum, q. ad exhibend.).

43. Tres sunt personæ quæ judicium constituunt: Actor, Reus, Judex.

Actor est ille qui petit, Reus a quo petitur, Judex coram quo petitur.

Judex est vir bonus et æquus juris peritus; per se vel assessores suos auctoritate publica constitutus, cui causas cognoscendi et decidendi facultas competit.

Primis Romæ incunabulis, judicia erant penes Senatum, ex lege Sempronia apud Equites; sub Republica et prioribus Imperatoribus majores judices, veluti Prætor aliique similes juridicis conventibus præerant.

Ad eos fiebat in jus vocatio, apud eos editio; actionem ipsi dabant aut denegabant, dabant et judicem (Carol. Segon., de Judiciis, lib. 1, cap. 23-24).

Sed sub Diocletiano et Maximiano, solis superioribus magistratibus, generatim loquendo, judicium reservatum fuit; donec Julianus Imperator dedit Præsidibus facultatem constituendi judices pedaneos.

Demum Justinianus duodecim constituit, quibus solis et non aliis causæ ad dijudicandum erant committendæ.

Quod si magistratus censuisset, hæc aliis nihilominus committi poterant (Nov. 82, cap. 1 et seqq.).

44. Ast tunc suam formam judicium induebat,

cum litis adesset contestatio atque forum competens.

Quid sit contestatio litis unicuique est apertum.

Fori competentia autem deducitur ex tribus causis :

1° Ex persona judicis, qui est aut ordinarius, aut compromissarius ; vel quia prorogata est ejus jurisdictio, vel quia avocata est causa ad superiorem.

2° Deducitur fori competentia ex persona rei, propter rem, propter contractum, propter delictum et propter privilegium.

3° Ex qualitate rei, quæ esse potest ecclesiastica, sæcularis, mixta, connexa, feudalis, et sic deinceps.

45. Quibus delibatis, satis etiam de judiciis, et simul satis de præsenti disceptatione.

Reposuimus sane propositis quæstionibus : Quid jus civile, seu Romanum? Quænam ejus origo? Quinam progressus? Quodnam objectum? Quibus respondendum erat.

EX JURE CIVILI.

II

DE RERUM DIVISIONE ET DE ACQUIRENDO EARUM DOMINIO, AC PRÆSERTIM DE PECULIO.

THESIS 30ᵃ.

1. Res generatim veniunt, quæ ejus sunt naturæ, ut in bonis esse possint (Paul., l. 5, de Verb. Sign.).

Appellatione enim rei causæ et jura continentur (Ulp., l. 23, de Verb. Significat.).

Et bona dicuntur, ex eo quod beant: beare autem est prodesse (l. 49, de V. et R. S.).

2. Summa rerum divisio est, ut aliæ sint divini juris, aliæ humani juris. Res divini juris erant pro Jurisconsultis Sacræ, Religiosæ, Sanctæ.

Sacræ, quæ jussu Principis Diis Superis consecrabantur, v. g., Templa, Delubra (l. 6, § 3; l. 9, prin., §§ 1 et 2, hoc tit.).

Religiosæ, quæ dedicatæ erant Diis Inferis, v. g., Sepulchra (Gruter., de Jur. Man., libr. 3, cap. 1).

Sanctæ denique, vel quia tribuebantur Heroibus, in Deorum cœtum adscriptis, vel quia sanctionem habebant.

3. Nos hic potius de Rebus Humani Juris.

Quarum prima ac naturalis divisio est quod aliæ sint corporales, aliæ incorporales.

Corporales nimirum, quæ tangi possunt, ut fundus, domus; incorporales, quæ tangi non possunt, id est, quæ in jure consistunt, v. g., servitus, ususfructus.

Corporales iterum vel sunt mobiles, vel immobiles.

Mobiles autem sunt vel fungibiles, vel infungibiles.

Et primæ, quatenus alterius vice fungi possunt; et secundæ, quæ eadem specie reddi solent.

4. Sed Justinianus ait, in Inst., pr., h. t. : « Res, quæ vel in patrimonio nostro, vel extra patrimonium nostrum habentur. » Ergo res, sive corporales, sive incorporales, sive mobiles, sive immobiles, sunt vel nullius, vel alicujus.

Quæ sunt alicujus vel publicæ sunt, vel singulorum.

Et publicæ, quæ ratione proprietatis populo cedunt; quoad vero usum singulis ex populo. Unde dici solent etiam communes (Noodt., Probabil., libr. 1, cap. 7 et 8).

Singulorum denique, quæ in cujusque patrimonio continentur.

De iis præcise et pressius in themate pertractamus.

Inutilis nihilominus evaderet disquisitio, nisi videretur quomodo earum dominium acquiratur, et quænam ex dominio fluant in possessoribus jura.

5. Dominium itaque, juxta Voetium, ad Pandectas, libr. 6, tit. 1, § 1, consistit in jure, quo res nostra est. Sed mihi videtur non esse concinna definitio, quia nimis arida et jejuna.

Communis vero descriptio a Jurisperitis in his verbis præbetur : Dominium est jus in re corporali, ex quo facultas de ea disponendi eamque vindicandi nascitur, nisi lex, vel conventio, vel testatoris voluntas obsistat.

Sed hic quæro : Si lex, aut conventio, aut testatoris voluntas semper obstarent, ubinam dominium?

Ergo ea ex definitione excludenda sunt, et accuratius dicendum est : Dominium esse plenam, vel semiplenam de re disponendi facultatem.

6. Erat olim dominium Quiritarium et Bonitarium.

Hodie est plenum, aut semiplenum; directum, aut utile; naturale, aut civile.

7. In eo acquirendo duplex requiritur causa : proxima et remota.

Quarum postrema titulum constituit : prima modum acquirendi. Titulus dat jus ad rem, modus vero jus in re.

8. Præterea modus acquirendi est vel ex jure naturali, vel civili (l. 1 D., de acquirendo rer. dom.).

Jure naturali occupatione, vel traditione, vel accessione.

Jure civili præcipue usucapione et præscriptione.

9. Quod autem acquiritur Peculium constituit.

Peculium sane multipliciter accipitur. Ab Ulp., l. 16 D., ad JC. Trebell. ponitur pro hæreditate, vel patrimonio; a l. Si chorus, 3 de Leg., pro pecu-

nia, quam quis repositam ad casus repentinos habet.

A l. Si ego, § Dotis, D., de jur. dotium pro re paraphernali.

A l. denique depositi de Pec. §, peculium accipitur pro pusilla substantia, vel pecunia separata a rebus et ratiociniis patris vel domini, data vel permissa filio vel servo.

In hoc postremo sensu præcise nos peculium accipimus, et juxta juris Romani normas breviter hic suis in vicibus illud consideramus.

Sit illico initium operi.

10. Gravioris momenti, ut vidimus, apud Romanos erat illa distinctio, qua homines dispiciebantur in liberos et servos.

Et servi nimirum erant res mancipii, non personæ, ait Juvenalis, in Sat. 6, v. 221 : « Demens ita servus homo est? »

Et Theophilus, pr. Inst., de Stipul. servorum, de his asserebat « Personam legibus non habentes. »

Hinc 1° id quod acquirebant, domino acquirebant.

2° Nuptias non contrahebant, sed erant in contubernio.

3° Illis factio testamenti non erat, neque contractus sibi stipulandi facultas.

4° Nulla in persona servili obligatio intelligebatur (l. 22 de Regulis juris).

5° Ex altera parte, in dominis inveniebatur jus vitæ et servorum necis.

6° Venditionis emptionisque, et sic deinceps.

11. Nec magis felix erat filiorum conditio, qui sui juris non erant sub patria potestate; ita ut ratione patris etiam non personæ essent, sed res.

Ex quo vindicari poterant (ex l. 1, § 2 de Rei vindicat.).

Ex quo jus vitæ et necis filiorum in patre (l. 2 de Lib. et Posth.).

Ex quo in patribus illos vendendi facultas.

Ex quo denique quidquid filius acquirebat, patri acquirebat.

« Romanis, inquit Dyonis. Halicarnass. Ant. Rom., n. 8, filiis nihil proprii est vivis patribus, sed et pecunias et corpora liberorum patribus ad eorum arbitrium tradidit lex Romuli. »

Quod et clarius exprimit Sextus Empir., Pyr. hyp., 3, 24 : « Legum Romanarum auctores liberos in manu parentum ad instar servorum esse voluerunt, neque suorum bonorum ipsos esse dominos, sed parentes, eo modo quo mancipia solent. »

12. Sed eo modo quo cursu temporis alia recitata jura vel diminuta fuerunt, vel in desuetudinem venere; sic et illud quod filius acquirit, patri acquirit. Societas enim hoc modo regi nequibat; et potius quam artes et mores ubique florerent, inertia colebatur et turpitudo.

13. Julius Cæsar profecto rem et methodum in themate perpendens, primus legi hujusmodi aliquod dedit temperamentum, et constituit quod filius in militia sua acquireret virtute, filio sibimet cederet (l. 11 D., Castr. pecul.); et quia ex castris, peculium illud nuncupatum est castrense.

Titus, Domitianus, Nerva et Trajanus hoc privilegium auxerunt (l. 1 de Milit. Testam.).

Quod usitatum quoque fuisse tempore Claudii et

Neronis, aperte ostendit Juvenal. in Sat. ult., v. 52 :

. . . . . Nam quæ sunt parta labore
Militiæ, placuit non esse in corpore census,
Omne tenet cujus regimen pater.

14. Sed virtutem addere militibus optima erat cogitatio; nihilominus, oblivisci benemerentes error esset.

Hinc lex alterum edixit privilegium : quidquid veniret militiæ togatæ seu forensis filii, filio sibimet cederet; et quia quasi ex castris erat, peculium quasi castrense constituit (l. 14 C., de Adv. dir. Judic.).

15. Huic categoriæ adscriptum postea fuit id quod filius adquireret artium liberalium occasione, vel per publicum officium, vel per Principis liberalitatem (l. ult. Cod., de Inoff. test.; l. 7 Cod., de Bon. quæ liber.). Donec Justinianus, summa prudentia ac æquitate, in § 1 Inst., Per quas pers. cuique acquir., generice edixerit : « Quod autem ex alia causa sibi filiusfamilias acquisivit, hujus usumfructum patri acquirat; dominium autem apud eum remaneat, ne quod ei suis laboribus, vel prospera fortuna accesserit, hoc in alium proveniens, luctuosum ei procedat. » Quod et adventitium est peculium.

Sin vero ex re patris proficiscitur, vel occasione, vel contemplatione patris filio obvenit, profectitium nominatur (§ 1 Inst., loc cit.).

16. Peculium igitur est quadruplex : castrense, quasi-castrense, adventitium, profectitium.

17. His præmissis, quæritur :

Quid juris de iis peculiis?

Peculium castrense, vel quasi-castrense, ad filiumfamilias, uti patremfam. spectat (l. 4, § 1, de Pecul. castrens.).

Ergo huic in re omnes patrisfamilias facultates tribuit; proindeque rei acquisitæ dominium et administrationem.

18. Profectitii vero administratio est apud filium, dominium pleno jure ad patrem spectat (§ 1 Inst., h. t., l. 3, § 4, de Minor.; l. 31, § 2, de Donat.).

19. Quid de adventitio?

Cujus proprietas erat ordinarie penes filium, administratio tamen et ususfructus erat penes patrem, usque ad ejus mortem, vel ad filii emancipationem.

In hoc postremo casu, ante Justinianum pater in plenam retinebat proprietatem tertiam assis adventitii partem.

Post Justinianum vero dimidietas solummodo ususfructus ad patrem pertinebat (§ 2 Inst., h. t.).

Diximus ordinarie; nam si agatur de peculio adventitio extraordinario, tunc sive dominium, sive ususfructus penes filium sunt.

Exemplum habes in l. ult. Cod., de Bon. quæ liber., § 1 : Si filius, renuente patre, hæreditatem adierit. Alterum exemplum tenes in Novell. 118, cap. 1 : Si hac conditione, ut omnimode pater excludatur, filio donatum sit, vel si filius una cum patre succedat fratri germano, ex ead. cit. Nov., cap. 2.

Denique si pater in bonis filio restituendis dolose versatus sit, uti videre est in l. 50 D., ad SC. Trebell., in qua sic se habet JC. Papinianus : « Imperator

Adrianus, cum Vivius Cerealis, filio suo Vivio Simonidi, si in potestate sua esse desisset, hæreditatem restituere rogatus esset, ac multa in fraudem fideicommissi fieri probaretur, restitui hæreditatem filio jussit; ita ne quid in ea pecunia quamdiu filius ejus viveret, juris haberet. Nam quia cautiones non poterant interponi, conservata patria potestate, damnum conditionis propter fraudem inflixit; post decreti autem auctoritatem, in ea hæreditate filio militi comparari debuit, si res a possessoribus peti, vel etiam cum debitoribus agi oporteret; sed paternæ reverentiæ congruum est, egenti forte patri officio judicis ex accessionibus hæreditariis emolumentum præstari. »

20. Et ex his nobis videtur talis esse hactenus filiorumfamilias peculii idea, exposita secundum jus Romanum, tum in profanis, tum in sacris relationibus, ut lectori satis sit ad claram in re notitiam comparandam.

21. Attamen non est tantum civile peculium, sed existit peculium quoque clericorum; proindeque, ut in re dari possit generalis et undequaque notio completa, oportet de hoc, ut appendicem instituamus.

Sit igitur

APPENDIX.

DE PECULIO CLERICORUM.

22. Quidquid a clerico possidetur et in potestate ejus est constitutum, ubicumque situm sit, peculium clericale constituit.

Distinguitur nihilominus multipliciter, secundum causas ex quibus originem ducit.

Est patrimoniale igitur, si ex hæreditate, legato, donatione..... venit.

Est industriale, si ex aliquo spirituali labore, v. g., missarum celebratione, concionibus sacris..... venit.

Est ecclesiasticum, cum ex præbendarum proventibus, ex decumis, ex oblationibus, ex Ecclesia demum ortum habet.

Est denique parcimoniale, quoties aliquis clericus illud colligit parcius vivendo, subtrahendoque ex Ecclesiæ reditibus ad sui honestam sustentationem.

23. Quæritur hinc : 1° Quid juris de peculio patrimoniali ?

Clericus ejus est verus dominus.

Atqui unusquisque dominus potest de re sua pro lubito disponere : ergo et clericus. Ipse enim ordinatione neque suis renunciavit juribus, neque cessavit esse rei suæ arbiter (Bened. XIV, de Syn. Diœces., libr. 1, cap. 2, § 2).

24. 2° Quid juris de peculio industriali?

Vidimus superius Julium Cæsarem primum dedisse peculii dominium militiæ sagatæ et togatæ, Justinianum instituisse illud ei, ex alia quacumque causa obveniens.

Et curnam, hoc posito, clericis tantum subtrahendum ?

Nullam invenio causam ; ac proinde illud concludo : quod clerico obvenit, non contemplatione beneficii, vel alterius rei ecclesiasticæ, sed vi sui laboris et incommodi, clerico cedit.

Clerico cedit : ergo ille est peculii industrialis dominus et arbiter.

25. 3° Quid juris de peculio ecclesiastico?

Patres Tridentini difficultatem in re cognoverunt, proindeque nullam dedere decisionem. Et Canonistæ hinc inde proferunt semper sententiam, in illam disceptantes propositionem : Utrum beneficiorum dominium ad beneficiatum spectet, an ad Ecclesiam ? et unaquæque pars suis pro placitis affert rationes.

Sed nos, non audentes tam agitatam absolvere quæstionem, tantum animadvertimus, cum Trid. (sess. 25, cap. 1 de Reformat.) clericos redditus, quos ultra sui honestam sustentationem ab Ecclesia percipiunt, distribuere in pauperes debere, atque in alia pia opera erogare ; nec posse absque gravi peccato in convivia, ludos, venationes et similes profanos usus impendere, aut consanguineis elargiri, nisi tanquam pauperibus, si vere pauperes sint, ut minus egeant, non ut ditescant.

26. 4° Quid denique juris de parcimoniali peculio ?

Dantur et Canonistæ, qui aiunt : Bona parcimonialia non esse, nisi bona ecclesiastica ; ergo iis aptanda sunt omnia jura, quæ ecclesiasticum peculium regunt.

Sed nobis videtur rem diligentius esse examinandam, ac inde forsitan mitius concludendum.

Dicunt expositæ sententiæ propugnatores : Nihil refert, utrum clericus parcimoniale peculium sibi comparaverit parcius vivendo, cum posset illud ad sui commodum insumere ; sed solum videndum est utrum vixisset et posito quod vixerit, jam usus victu necessario est; ad superfluum inde ei non est jus, secundum illud S. Hieronymi, apud Gratianum pr. dist. 44 : « De altari vivere, non luxuriari permittitur. »

27. Sed in primis observationem proponimus, quæ facili exemplo poterit explanari. Titius clericus, ut vitam honestam ducat, indiget 50 scutat., parcius vivit, et tantum 40 de his insumit.

Quo posito, quæro: 1° Utrum Titius jus habeat in 50, nec ne?

Si tu negative reponas, tunc mihi contra te licitum erit concludere : ergo verum non est clericum de re ecclesiastica vitam honestam ducere posse.

Quod si tu affirmativam proferas sententiam, tunc, inquam, forsitan bona voluntas et parcimonia vitæ auferunt jus in individuo quæsitum ; et meritum honestatis ei grave producit incommodum? Putamus hoc esse contra rationalis naturæ sensum.

Nihil insuper infert Divi Hieronymi effatum; nam clericus noster non solum in casu non luxuriatur, quinimo vitam miserrime vivit : ergo peculium parcimoniale melius dicitur esse clerici, ut de eo licite pro lubito disponere possit, quam contrarium asseritur. Sed animadvertimus hanc esse quæstionem magis speculativam, quam practicam ; proindeque in ea fere inutile est diutius immorari.

28. Post hoc facile vides nos sermonem habuisse de rerum divisione, deque earum acquirendo dominio ; insimulque præcipua pertigisse, quæ spectant ad peculium secundum jus Romanorum et pauca de peculio clericorum : quæ omnia in thesi ostendere statuimus. Explicit igitur etiam præsens disceptatio, et cum ea opus, quodcumque sit nostrum. Disputavimus sane de triginta thesibus : quod erat in votis.


29. Et hæc sunt, Illustrissime ac Reverendissime

Præsul, laboris mei specimina; hi et fructus, qui steriles se exhibent, sed fœcunditatem expectant a Tua Pastorali Benedictione.

Interdum Tuo ac Supremo et infallibili Ecclesiæ, ejusque Capitis Romani Pontificis, judicio penitus subjectas meas volo theses; et si quid imprudenter, aut minus recte meo e calamo exciderit, ore et corde corrigam, emendabo, damnabo atque prorsus rejiciam.

30. Quapropter omnibus antea dictis, finem faciam, ipsissimis Divi Augustini verbis utendo, Epist. 143, olim 7 ad Marcellum, n. 2 : « Fateor « me ex eorum numero esse conari, qui proficiendo « scribunt, et scribendo proficiunt. Unde si aliquid « vel incautius, vel indoctius a me positum est, quod « non solum ab aliis, qui videre id possunt merito « reprehendatur, verum etiam a meipso; quia et ego « saltem postea videre debeo, si proficio : nec mirandum est, nec dolendum, sed potius ignoscendum, « atque gratulandum; non quia erratum est, sed quia « improbatum. Nam nimis perverse seipsum amat, « qui et alios vult errare, ut error suus lateat. Quanto « enim melius et utilius, ut ubi ipse erravit alii non « errent, quorum admonitu errore careat? » Et addo alia ejusdem S. Doctoris verba, in lib. 11 de Trinitate, cap. 9 : « Parati corrigi, si fraterne et recte reprehen- « dimur; parati etiam, si ab inimico, vera tamen « dicente, mordemur. »

SIT LAUS DEO ET DEIPARÆ IMMACULATÆ.



INDEX THESIUM

TOTIUS OPERIS.

EX SACRA THEOLOGIA.

DE LOCIS THEOLOGICIS.

DE DEO DIVINISQUE EJUS ATTRIBUTIS.

DE SANCTISSIMA TRINITATE.

DE DEO CREATORE.

DE REBUS MERE SPIRITUALIBUS.

DE REBUS INSIMUL SPIRITUALIBUS ET CORPOREIS.

EX SACRA SCRIPTURA.

EX HISTORIA ECCLESIASTICA.

EX JURE CANONICO.

EX JURE CIVILI.

Lyon. — Impr. de FÉLIX GIRARD, rue St-Dominique, 15.







